DE

ASCESEOS FINE ET ORIGINE

ET DE

NATURA MALI

A VETERIBUS OPINATA

DISSERTATIO

CAROLI LUDOVICI SCHMIDT,

DOCTORIS PHILOSOPHIÆ.

CAROLSRUHÆ.

TYPIS TH. BRAUNIANIS.

MDCCCXXX.

Diss. Erlangen

VIRO

ILLUSTRI ET SUMME VENERANDO

FRIDERICO DE SCHMIDT

Doctori theologiæ et philosophiæ, regis Bavariæ in imperio administrando consiliario, concionatori aulico, ordinis bene meritorum equiti etc.

AVUNCULO SUO CARISSIMO

HUNC LIBRUM QUAM PIGNUS BLANDUM REVERENTIÆ CHARITATISQUE TENERRIMÆ

GRATO ET TAM MULTORUM BENEFICIORUM ANIMO SEMPER MEMORI

SACRAT

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO.

Hanc ordinis philosophici doctoribus et professoribus illustrissimis spectatissimisque, quibus floret alma et regia Friderico-Alexandrina Erlangensis, dissertationem inauguralem ad rite obtinendum doctoris philosophiae gradum, propositam, et ab hujus ordinis viris ornatissimis probatam, tibi, benevole lector, trado et commendo; hunc libellum excipias precor ea cum benignitate et indulgentia, quam nos omnes periculo hujuscemodi primo praebere solemus.

Scribebam Carlsruhae Junii die XIV. MDCCCXXX.

EMENDANDA.

pag.	1	lin.	10	a. p.	lege	*posse* pro passe.
„	„	„	11	„	„	*hujusmodi* pro hujus modi.
„	4	„	8	„	„	*adpropinquare* pro ad prop.
„	„	„	11	„	„	*και* pro *παι*.
„	„	„	13	„	„	*subsequente* pro sub sequente.
„	„	„	18	„	„	*subintelligenda* pro sub intelligenda.
„	„	„	20	„	„	*ἐπιμελεισθαι* pro *ἐπιμελειοθαι*.
„	„	„	21	„	„	*posterior* pro posteriore.
„	5	„	13	a. u.	„	*κυριου* pro *κοριου*.
„	„	„	10	„	„	*subintelligendum* pro sub intelligendum.
„	„	„	7	„	„	*ἀρετην* pro *ἀγετην*.
„	6	„	4	„	„	*vicissim se* pro vicissimse.
„	„		nota *b.*		„	*occurrunt* pro occurrant.
„	7	„	4	a. p.	„	dele signum parentheseos.
„	„	„	9	„	„	post naturae pone,
„	„		nota *d.*		„	*Τροες* pro *Τριοες*.
„	8	„	5	a. p.	„	*respicere* pro respiciere.
„	9	„	3	„	„	*creatore* pro creatare.
„	„	„	„	„	„	*refert* pro refest.
„	„		nota *a.*		„	*Kerner* pro Koerner
„	14	„	7	a. p.	„	*oleat* pro olent.
„	„	„	8	„	„	*praetereundum* pro praetercundum.
„	17	„	6	„	„	*fere* pro ferc.
„	21	„	„	„	„	*Metaph.* pro Meth.
„	24	„	8	„	„	*adscr.* pro ad scr.
„	25	„	2	„	„	*μοριον* pro *μοιρ*.
„	29	„	10	„	„	*compreh.* pro eomp.
„	30	„	3	a. u.	„	Goldverſchmäher pro Geldverſchmäher.
„	32	„	14	a. p.	„	*restringendum* pro restringentum.
„	„	„	6	a. u.	„	*ansam* pro ansum.
„	34	„	1	a. p.	„	*ἀνθρωπου* pro *ἁνθ*.
„	„	„	14	„	„	*praedita* pro prad.
„	38	„	7	„	„	*ψυχης* pro *φυχης*.
„	„		nota *c.*		„	*propem.* pro propremodo.
„	41	„	8	a. u.	„	*rerum* pro reurm.
„	47	„	6	a. p.	„	*philosophica* pro philosophia.

῾Οταν γαρ ἐθνη τα μη νομον ἐχοντα, φυσει τα του νομου ποιῃ, οὑτοι νομον μη ἐχοντες, ἑαυτοις ἐισι νομος.

Pauli ad Rom. ep. II. v. 14.

Haec Pauli apostoli egregie dicta nuper consideranti atque cum diligentia in animo volventi incidit mihi in mentem, paullo accuratius hanc ethnicorum legem, quam intelligit Paulus, describendi atque perlustrandi consilium.

Quam quaestionem negative ponendam tractandumque esse censebam, et ita quidem:

Quae sit natura atque origo mali a gentibus opinata veteribus?

Ea enim de caussa, quia ἀσκησεως tantum ratione atque fine expedito hac de re satis edoceri me passe existimabam.

Caussam etiam aliam habeo hujus modi rei tractandae: de ἀσκησεως scilicet atque abstinentiae fine ipso apud veteres gentes inquirere mihi proposui.

Facturusne operae pretium sim si antiquitatis opiniones de his rebus contulissem, alius dijudicet; id vero in comperto habeo, genus hoc perscrutandi antiquas religiones cultusque theologo christiano de non nullis rebus lucem adlaturum esse non parcam.

Liber noster distribuitur in quinque partes.

I. P. *de usu atque significatione vocis:* ἀσκησις.

II. - *de essentia mali.*

III. - *de substantia mali.*

IV. - *de natura mali.*

V. - *de* ἀσκησει *veterum.*

I.

Præprimis igitur vis atque indoles hujus vocis: ἀσκησις eruenda esse mihi videtur.

Το ἀσκειν enim apud veteres autores saepius occurrit significatione: materiam, molem etc. elaborare indigestam atque rudem; deinde artificiose elaborare aliquid, diligenter elaborare. cf. Hesychii lexic. graec. quo ἀσκειν circum scribitur per: μελεταν, γυμναζεσθαι et φιλοπονειν.

Semper enim sub intelligendus est assiduitatis diligentiaeque sensus: non est merum elaborare, sed potius *colere*, inde etiam: *ornare*; — per omnes enim partes verbum *colere* τῳ ἀσκειν correspondere mihi videtur. Sed vocis cujusvis sensus penitus cognoscendi ratio ea plane exploratissima est, quae ex synonimis usitatis proprietatem ejus nativam eruere studet.

Hesychius, si fidem habet, tres nobis dat significationes του ἀσκειν: — μελεταν, scil., γυμναζεσθαι, et φιλοπονειν; harum igitur trium quem inter se habent sensum communem, genuinum atque proprium του ἀσκειν existimare possumus.

Cum igitur μελεταν valet: ἐπιμελεισθαι, meditare, tractare, agitare aliquid, apud nostrates: Betreiben; γυμναζεσθαι, se exerceri, assuefacere se rei; φιλοπονειν tandem, cum industria laborare: jam satis latet, harum trium paraphraseon του ἀσκειν vim principalem atque fundamentalem esse: το facere aliquid cum industria, animi quadam intentione, quae latino sermone verbo: *colere:* solemus exprimere (*a*).

Sed etiam altera, non minus probata verborum vim explorandi ratio est per *oppositum*, et ad hoc opportunam nobis praebet occassionem Platonis dialogus Socratis cum Menone: ubi enim Meno a Socrate quaerit: ἀρα διδακτον ἡ ἀρετη; ἡ οὐ διδακτον, ἀλλ' ἀσκητον; ἡ οὐτε ἀσκητον, οὐτε μαθητον, ἀλλα φυσει παραγιγνεται τοις ἀνθρωποις;

Hic igitur το ἀσκητον oppositum est et τῳ: διδακτον, et τῳ: φυσει παραγιγνομενον. το ἀσκητον igitur neque est quod discere possumus, neque quod nobis est a natura datum.

---

a) Non longe absum, quin credam, *colere* compositum esse a *con*, s. *cum*, et *alere*, id est: *coalere*; alere enim aliquid mente, e. g. gloriam, spem, audaciam etc. congruere cum sensu verbi ἀσκειν, s. μελεταν, s. γυμναζεσθαι, s. φιλοπονειν: particula *cum* vero monet ad rem mente alitam, actam, vel agendam: ut paucis dicam: colere significat: agere, exercere rem simul atque alere mente.

Si virtutis enim nec discendo participes fieri possumus, neque nobis a natura, si innata est: aut alio modo: si virtus neque ab aliis hominibus, sive a parentibus, sive a magistris, ad nos propagari atque transferri potest, neque a natura nobis insita est, *unde* ergo et *quomodo* est petenda?

Facultatem immo certe, atque ingenii dexteritatem ad virtutem assequendam nobis inesse persuasum habere unius cujusque officium est.

Respondere igitur liceat: *exercendo* atque *colendo* ingenii nostri facultates atque dexteritatem, ad propinquare virtuti, eamque assequi possumus.

Sed exempla vincant.

Ἡ μεν τον πτυξασα και ἀσκησασα χιτωνα (*a*) etc.
Ἁρμα δε οἱ χροσῳ τε παι ἀργυρῳ εὖ ἠσκηται (*b*).

Sed et id praeprimis certiores nos facit de significatione vocis ἀσκειν, quod Homerus locis nonnullis το ἀσκειν ponit in participio, sub sequente verbo alio, e. gr. θρονον τευξει ἀσκησας (*c*) quam loquendi formam etiam apud Tragicos atque Herodotum invenisse affirmat Passovius. Caeterum silentio non licet praeterire apud autores graecos (praesertim Atticos) sexcenties occurentem loquendi usum, ut: ἀσκειν το σωμα (*d*) de exercitio palaestrico, et arte athletica; — etiam hic studium atque industria in exercendo corpore potius sub intelligenda est, non exercitium ipsum et solum. Hic etiam accedit dicendi ratio, ἀσκειν την ἀρετην (*e*), την σωφροσυνην (*f*) — quod idem est quod studium exercendae virtutis, sive ἀρετην μελεταν, sive ἐπιμελεισθαι, sive: ἀσκειν ἑαυτον προς ἀρετην, id quod γυμναζεσθαι.

Hic posteriore rei percipiendi modus ea de caussa praeferrendus esse mihi videtur, quia aptius ad notionem του ἀσκειν το σωμα, ad palaestricum scil. morem spectat.

Admirandum enim non est, quod illius athletici ad durandum corpus atque roborandum exercitii imago facile transferretur ad virtutis studium.

Sed quod potest omne dubium de his tollere, est Pindari aliorumque usus loquendi, ut: ἀσκειν τους θεους = id est, quod θεραπευειν.

---

a) Hom. Od. I., 439.

b) Il. 10, 438. cf. etiam. Il. 18, 592. Hesiod. op. et dies. 546.

c) et alio loco: χρυσον περιχευειν ἀσκησας.

d) προσ πονον και ἰσχυν.

e) Xen. Mem. l. II. 6, 20.

f) Plutarchi Lycurg. c. 15.

Hic enim ἀσκειν nihil aliud esse, quam studium deorum colendorum ac placandorum, nemini non in conspicuo est.

Sed ut paucis rem absolvam; το ἀσκειν = colere, significat: *perficere seu exercere aliquid cum industria quadam*, sed *studii atque voluntatis notione praevalente, exercitationis vero notione posthabita*, ideoque, *ommissa* omnino, ut in phrasi: θεους ἀσκειν, supra memorata.

Sed reliquum est, ut et de vocis ἀσκησις usu atque significatione nonnulla inquiramus. Etiam huic voci respondet latinum nostrum *cultus*, s. *cultura*.

Praeprimis castigandus demovendusque est Suidae error, qui in lexico suo Graeco arctius justo, et multo angustius την ἀσκησιν definit, per continentiam scilicet et patientiam, aut graece, per ἐγκρατειαν, et per vitam rigidam et austeram.

Sed etiam hic Hesychii vestigia sequimur, qui recte atque exquisite rem exponit per: „ἐπιμελεια“ cura. Sed etiam hic desiderandum est aliquid; actus enim, ut potius dicam exercitii, momentum semper cum ἐπιμελειας notione comprehendit ἡ ἀσκησις. Sed id praecipue est statuendum, quod haec ἀσκησεως notio semper eadem perseveret, et nihil aliud in se recipiet per objectum. Quoad igitur apparet in agendo, ἡ ἀσκησις, s. ἐπιμελεια semper exercitium est, non tam exercitatio.

Caeterum etiam usus atque significatio hujus vocis apud Patres ecclesiae christianae investiganda est.

Clemens igitur Alexandrinus nominat την του κοριου διδασκαλιαν, i. e. disciplinam religionis a Christo traditae, την κυριακην ἀσκησιν. — διδασκαλιαν igitur esse ἀσκησιν? — Sed non institutio mera, sed disciplina, διδασκαλια enim non potest esse ἀσκησιν, nisi in illa sit ἀσκησεως aliquid, id est, curae atque exercitii aliquid sub intelligendum.

Canones apostolici 50 et 51. Abstinentia a carnibus et vino, certis diebus priscae ecclesiae usurpata, fieri dicitur: δἰ ἀσκησιν, quod explicatur per: propter exercitium pietatis. Est igitur non tam ἀσκειν την ἀρετην, quam potius ἀσκειν προς ἀγετην. Et ἀσκηται fuere, qui in studio pietatis prae caeteris desudabant.

Haec si ita se habent, ἀσκησεως notio haec ferme erit: *cura* quaevis aut *animi contentio* in *alicujus* rei *exercitio versata*. Sive versetur contentio illa in exercitio rei athleticae sive philosophiae, sive morum, sive rerum ad mysteria sacra pertinentium: semper eadem est qua ἀσκησις.

Sed distinguendum est inter exercitium et exercitationem, longe enim inter se distant.

Exercitium enim est rem et propositum summa cum integritate perficere, ideam quand[a] ad effectum perducere, est enim summa perfectio (*a*); exercitatio exploratio modo [e] viae et rationis ideae cujusdam aut rei exsequendae (*b*).

Cui enim mortalium venire potest in mentem, ut exercuisse (strictissima sc. ver[bi] notione) virtutem prae se ferat? omnia igitur quae agimus, praesertim in rebus honest[is] atque bonis, nihil aliud est quam exercitatio, non exercitium seu perfectio.

Si igitur secundum Kantii morum philosophiam virtus adquisita est valetudo atque habilita[s] voluntatis morum praeceptis satisfaciendi in operando atque sentiendo: summo cum jur[e] ἡ ἀσκησις contentio atque ratio ad assequendam illam habilitatem, aestimanda est. — Et secundum Platonis divi dialogum Socratis cum Menone (*c*) „ἀρετη οὐτε φυσει, οὐτε διδακτον ἀλλα θειᾳ μοιρᾳ παραγιγνομενη“ est; atque Socrate auctore hoc illud donum deorum, sive virtus, adquirendam est usu atque consuetudine.

cf. Xen. Mem. lib. II. c. VI. sub fin: ὁσαι δ'ἐν ἀνθρωποις ἀρεται λεγονται, σκοπουμενος ἑυρησεις πασας μαθησει τε και μελετῃ αὐξαμενας.

Idem semper est scopus asceseos, quamquam inter christianos Ascetas (quos Monachos appellamus) et ethnicos ante Christum magna sit diversitas; summa atque res movens, qua trahitur mens sensusque mortalium, de vitiositate, indigentia atque imbecilliate sua satis persuasus, studium illud est, se ipsum projiciendi, solvendi, personam suam excedendi et transeundi in rem totius generis humani communem i. e. in relative divinam.

Ut igitur hujus studii hominibus non indigni, sed non plene percepti atque exerciti, genuina natura et ratio hic plus quam illic perspici potest, et varietate sua ipsa diversas permittit vias: non mirandum est quod hoc studium variis sub formis, ne dicam, passim degeneratum et pravum inveniatur.

Cum igitur duorum, pari conditioni subjectorum, et vicissimse complectentium elementorum unum altero justo plus extollitur et praevalet: hoc studium una ex parte qua reale, practicum, seu ethicum eminet momentum, inhumanum redditur (unsittlich) i. e. immodestum: ita quidem ut virtus (sublimiori sub conditione eam intelligo) regula tantum reddatur

---

a) Apudnos: Ausübung.

b) Quamvis haec mea distinctio non sit in usu, immo exercitium et exercitatio promiscue occurrant, tamen certe in verbi natura haec distinctio non temeraria esse mihi videtur.

c) Ed. Buttmann pag. 68. et Platonis Protagoras.

monastica, et talibus exercitiis animi submissio, modestia et conscientia illius indigentiae profundioris, quae mortales amore tam dignos facit, absorpta esse videatur: altera ex parte — praevalente momento ideali — in segnitiem tristitiamque degeneratur vita, sterili (contemplationi incumbens, et obtusis sensibus torpens).

Si igitur Xenophontis mem. lib. III. cp. 9. conferes, tibi etiam fortasse videbitur, Xenophon την ἀρετην submultasse cum ἀνδρια, quam eodem modo se habere, Xenophon suggerebat Socrati suo, quam Plato in Menone suo, de virtute, seu ἀρετη.

Xenophon igitur loco supra laudato, quaestione posita, num sit ediscenda virtus, fortitudo, s. ἀνδρια, an insita naturae (*a*) idem, de quo in Platonis Menone Socrates interrogatur de virtute, ἀρε τη: in responso discrepare videtur a Platone; hujus enim Socrates virtutem a Deo datam esse (*b*) dicit, Xenophontis vero Socrates omnem fere virtutem consuetudine atque exercitatione (*c*) esse assequendam existimat.

Sed haec contradictionis modo opinio eo componi potest, ut illam Platonicam sententiam de idea atque natura virtutis a priori esse intelligendam, haec vero Xenophontis opinionem de virtute (ἀνδρια) assequenda — a posteriori atque ad rationem spectantem, existimemus sumendam esse.

Namque ex voce ipsa latina: „virtus" concludere possumus, immo concludatur necesse est, antiquas gentes virtutis atque της ἀρετης vim atque elementum fortitudinem., et facultatem habilitatemque corporis et animi, (ἀνδρια) existimasse (*d*).

Ex his omnibus sequitur: την ἀσκησιν *esse* μαθησιν, *disciplinam et* μελετην = i. e. *studium* της ἀρετης, id est *facultatis habilitatisque in bonis rebus atque honestis tum corporum cum animi assequendae.*

---

a) διδακτον ἤ φυσικον.

b) θεια μοιρα.

c) Idem quod est ἀσκησις.

d) Quis enim dubitare potest, quin „virtus" a „vir" derivandum sit? atque „ἀρετην" sexcenties in Homero invenies pro Heroum fortitudine, et bellicosis variis facultatibus ad corpus praesertim spectantibus: absque dubio ab *ΑΡΩ* derivandum est, Passovio duce, aptum esse, paratum esse, ut „Τριοες ἀρηροτες"; — et cui non in mentem inciderit nostrum Teutonicum „Tugend," a „Tügen," „Taugen?"

II.

DE ESSENTIA MALI.

Incerto quodam desiderio et sollicitudine diremtus est atque divisus generis humani animus: non minus enim praeterita quam praesentia eum occupant tempora: et non longe absum quin credam, eo *duobus* oculis hominem esse praeditum, ut possit respiciere uno, circumspicere altero.

Fabulam illam intelligo de *aurea aetate*, quam poëtae nobis carminibus celebrant (*a*). Sed praeprimis audiamus Platonem (*b*).

Θεος ἐνεμεν αὐτους (sc. *ἀνθρωπους*) *αὐτος ἐπιστατων, καθ᾽ἁπερ νυν ἀνθρωποι, ζωον ὀν ἑτερον θειοτερον, ἀλλα γενη φαυλοτερα αὐτων νομευουσιν, νεμοντος δ᾽ ἐκεινου, πολιτειαι τε οὐκ. ἠσαν, οὐδε κτησεις γυναικων και παιδων.* (*ἐκ γης γαρ ἀνεβιωσκοντο παντες, οὐδεν μεμνημενοι των προςθεν.*) *Ἀλλα τα μεν τοιαυτα ἀπην παντα, καρπους δ᾽ ἀφθονους εἰχον ἀπο τε δρυων, και πολλης ὑλης, ουχ ὑπο γεωργιας φυομενους, ἀλλ᾽ αὐτοματης ἀναδιδουσης της γης. γυμνοι τε και ἀστρωτοι* etc.

Οἱ τροφιμοι δε Κρονου, saturnina illa proles, ut Plato alio loco dicit, a Deo ipso gubernabatur et imperabatur. Consuetudine utebantur Deorum, tellus omnia sponte, ut Ovidius dicit, per se, nullo cogente dabat. Hominum illud genus felicius atque opulentius erat, quamquam artibus inops atque deterius (*c*).

---

a) Ovid. Metam lib. I., v. 89 — 102. Fastor. I. 238. Aeschyl. Prometh; Virg. Aen. VIII. 319. Eclog. 4. Georg I., 125. Sext. Aurel. Vict. orig. gent. Rom. Hesiodi. op. et dies. 108.

b) Polit. pg. 175 ed Ficin.

c) Clericus quidem dicit ad Hes. Theog. v. 211 hunc de aurea aetate mythum jam ante Hesiodi et Homeri tempora extitisse, quod nemini non in conspicuo est. Sed suspicionem in eum movet, quin illa feliciora tempora in Saturni maxime imperium inciderint, qui ob consumtam sui ipsius prolem male audivisset. Sed haec liberorum consumtio jam ab ipsis veteribus *symbolice* exposita est.

Idem Clericus hunc mythum etiam comparat cum biblico de protoplastorum vita in Paradiso, ut jam Eusebius in preap. s. evang. lib. IX.

Sed hunc statum per totum vitae aevum durasse negat, Hesiodi, dicens, atque aliorum poetarum confictionem esse; eo quod homines praesentia duntaxat mala sentiant, praeteritaque oblivioni mandent, et preasertim senes, exacta tempora laudare soleant.

Cum divis versabantur, ut Prometheus ille atque Tantalus.

Sed non cum diis solum interior erat amicitia, sed etiam cum tota natura atque creatare ejus, ut Plato loco supra laudato refest.

Ἐιμεν τοινυν οἱ τροφιμοι του Κρονου (alumni Saturni) παρουσης ἀυτοις οὑτω πολλης σχολης και δυναμεως, προς το μη μονον ἀνθρωποις, ἀλλα και θηριοις δια λογων δυνασθαι ξυγγενεσθαι, κατεχρωντο τουτοις συμπασιν ἐπι φιλοσοφιαν, (iis omnibus ad philosophiae studium utebantur) μετα τε θηρων, και μετ' ἀλληλων ὁμιλουντες, και πυνθανομενοι παρα πασης φυσεως, etc.

Ex his patere dicit Plato: ὁτι των νυν οἱ τοτε μυριως προς εὐδαιμονιαν διεφερεν. Animalium enim voces percipiebant (*a*).

Caeterum etiam apud Barbaros invenimus his similia.

Herodotus enim enarrat (*b*): τοτε προτερον των ἀνδρων τουτων (scil. Menes et Piromis) θεους εἶναι τους 'Αιγυπτῳ ἀρχοντας, quorum postremus Osiris dicitur, quo regnante Aegyptios mollia securaque degisse otia. Qui cum interfectus esset a Typhone, totius Aegypti nomos unacum Iside, ejus uxore, funerales instituisse festos pompasque, Nilique ripas resonasse naeniis atque lamentationibus.

Et postea Phallum adorabant, ut pignus quoddam aevi illius felicioris naturaeque uberioris.

Et Indorum mythologia statuit mundi quasdam aetates diversas; tres scilicet, quarum prima et remotissima sub Brahmae ipsius, universi conditoris (quem Graeci nuncupant δημιουργον) gubernabatur regimine. Unius numinis adoratio tunc erat, proles hominum innocens atque pia, nondum stillabant arae cruore animalium, sed hostias mites et in-

---

a) Insignis ille Plutarchi locus mihi venit in mentem (Plut. de Isid. et Osir. cp. 8. ubi dicit de mira veterum Aegyptiorum naturae cognitione atque acumine, κομψωτης φυσικη.) — Quo strictiora enim erant vincula inter corpora animata atque non animata, eo efficacior atque manifestior horum vis est in illis, seu noxia sit, seu secunda.

Unde etiam hominum primi aevi cognitio illa eximia naturae atque rerum, quae natura gignere solet, quae sint corpori salutaria, quae non, aut quae vis singulis eorum sit, aut qui effectus in corpore humano, (ut gemmarum vis, lauri atque aliorum corporum, quae etiam in nobis dudum somno magnetico complexis efficacia sunt. cf. Justinus Koerner, die Seherinn von Prevorst, I. Band). Sic jam gentes antiquae abstinebant ab esu potuque rerum nonnullarum, de cujus causa haesitabant ipsae. Sic nondum sciebant veram causam fabae non edendae, et plurium hujusmodi rerum.

b) Euterpe 144 et Plut. d. Is. et Os. cp. 13.

cruentas, primitias frugum, et animalium lactem innocentium ferebant. Sed pacis illius tranguillitatem hilaritatemque auream et innocentem secunda periodo esse dispersam atque perturbatam bellis turbulentis de rebus sacris a Schiwa, secundae incarnationis Deo, conflatis, hanc immaginem mortis et vitae, quam Lingam appellant, adorationi exposuisse et cultum hujus Lingam provulgasse, memorant.

Prisci illius atque sani cultus simplicitatem depellebant saevae idololatriae festi voluptate elati.

Sufficiet de his, ut veniamus ad sacros mythos Hebraeorum, quorum etiam scripta sacra narrant nobis de statu quodam pacis innocentiaeque coram Deo, non turbatae. Quid ergo? Demonstratum esse mihi videtur id, quod omnes fere gentes antiquitatis momorent status cujusdam innocentiae et non perturbatae beatitudinis, quibus fructi sint ultimae memoriae(*a*).

Veritatem hujus mythus historicam in medio relinquenti, de philosophico ejus pondere liceat disserere.

Primo adspecta hunc generis humani mythum communem, ne dicam nativum, consideranti, Deorum (si vis Dei) apologiam scribere necesse esse videbitur.

Objicere enim aliquis poterit Diis, quod imaginem quamdam beatitudinis felicitatisque inseruerint hominum menti, atque eos illuserint rebus quas ne sperare quidem licet, ne dicam, assequi. Nam quae mentes oculosque gentium tenebant atque delectabant, non *ante* oculos pedesque jacebant, sed relicta et longe remota *post tergum*. Non habebant quod sperarent: salus jacebat in temporum gremio praeteritorum inaccessibili atque praeclauso, et futurarum spatia rerum vasta atque immensa lucis et spei salutis egebant.

Usque ruebatur genus humanum a meliore saeculorum labentium metallo ad deterius. Non solum gentes antiquitatis, — nos omnes dolore quodam molli nativoque desiderio memoriam temporum dierumque peractarum repetimus, fovemusque, et dicere velim cum Horatio: laudatores et nos omnes sumus temporis acti (*b*).

Sed quid sit, quaeritur, ut gentes ante Christi Salvatoris tempora una tantum animi parte vixissent in praesentia altera vero respexissent tempora jamdudum peracta?

---

a) cf. Speciosum illum locum Hesiodi ubi tam suaviter molliterque opiniones veterum, atque lacrymas illas de discordia inter Deos hominesque plangit. Hes. op. et dies. v. 32 — 43.

b) Non praetereundum est quae Hesiodus tam genuine dicit de aetate ultima, sive quinta. op. et dies. 157 — 184. „μηκετ᾽ ἐπειτ᾽ ὠφειλον᾽ ἐγω πεμπτοισι μετειναι ἀνδρασιν, ἀλλ᾽ ἠ προσθε θανειν, ἠ ἐπειτα γενεσθαι etc.“ ubi suum quod vixit saeculum pro pessimo atque deterrimo habet: ut unicuique mortalium praesentia mala praeteritorum culmen esse videntur.

Et denuo quaerere aliquis poterit: qua de caussa Deus, qui dici amabat optimus maximus et Pater hominumque Deûmque (sive sit Jupiter, sive Brehm, s. Jehovah) injecit mortalibus imaginem aetatis illius aureae, semperque altum renovavit dolorem permissae familiaritatis cum divis? quam ob rem revocavit dissoluti memoriam vinculi illius fraterni inter hominem atque naturam?

Defensoris vices sapientiae providentiaeque divinae suscipere mihi indulgeo.

Eo enim animo numen illud sapiens atque benignum, quam providentiam nuncupare solemus, hominum memoriam beatioris illius aetatis semper innovat atque recentem sustentat, ut edoceat homines, *quae ad eorum felicitatem pacemque veram pertineat.*

Nam quem fructus quoque lucrum exspectare posset Deus, si inanem fabulam insinuerit mortalibus?

Typum igitur atque normam felicitatis, alta hominis natura dignae, monstrare voluit providentia; nam sub familiaritate cum Diis habita intelligenda est Dei similitas, ut Graeci dicunt: θεοειδης, θεοειδεια, θεοεικελος: haec est integritas puritasque mentis, pietas, atque innocentia.

Intima amicitia etiam ac propinquitate conjunctum esse hominem cum natura, monet ad simplicitatem, valetudinem atque frugalitatem. De veritate hujus mythi ita expositi, quis dubitare potest?

Sed ne nimis longe a scopo nostro aberremus, transeundum esse nobis videtur ad hujus mythi effectus generales; id est, quae maxima momenta habeat ad formandam religionem, philosophiam, mores atque opiniones antiquitatis.

Perpauci tantum sapientium, multitudinis enim hic commemorandum non est, providentiae altum consilium in aureae aetatis fabula vix divinarunt, nedum intellexerunt.

Totius enim antiquitatis tum sapientium cum gregis, sunt duo praeprimis errores communes.

Primus igitur error, quod non a poëtarum vatumque vocibus imaginibusque rei sensum abstrahere potuerunt nativum atque primum. Poeta enim tunc erat simul vates atque sacerdos, medicus atque legislator; haec scientiarum artiumque *unitas* atque *harmonia* haereditas est illius felicioris aevi, quae, ut Ovidius dicit de Astraea, „ultima coelestum terras reliquit.“

Sed haec illa unitas vestigium atque progenies aetatis jamjam feliciter peractae est, qua animus sensusque cum mente rationeque strictissime conjunctissimeque erat placatus,

et quia animus ratioque in unum confluebant aenigma, seu speculum, res omnes etiam unacum accidentiis summa cum integritate atque uno aspectu percipiebant et intelligebant. Itaque fiebat, ut simul fuissent poetae, vates, sacerdotes, medici atque legislatores in una persona.

Sed temporibus subsequentibus, ubi mens ratioque omnia dissolvens atque separans praedominabat, tunc ista conversa est integritas unitasque scientiae humanae in confusionem rerum.

Secundi apud antiquitatem erroris fons. In mythus nostri significatione ponderanda est consuetudo ista nobis omnibus communis, ut experientiam cognitionemque nostram excedentia induamus forma rerum praesentium, aut nobis viventibus contingentium. Itaque fiebat, ut gentes de malorum praesentium molestiarumque conditione naturaque conjecissent et suspexissent bona atque voluptates his opposita et respondentia illi aetati aureae. Impietas atque immanitas hominum desiderium excitare solebat pietatis atque mansuetudinis illius temporis Saturnini; bella caedesque, tyrannorum saevitia duraque imperia ad Saturni aut Osiridis mitia monebant sceptra atque mansueta; morbi, pestilentia, fluctus, siccitates, fames et quaecunque mala genus mortalium vexentia imaginum erant typi contrariarum.

Et hac illa turba, sive Iliade malorum interclausum, circumsessum, jactatumque hominem, in quam potius quaestionem incidat necesse erat, nisi in hanc: unde haec mala? vetustissimum illud et jam diu vexans: ποθεν το κακον; — hoc nostri speciminis punctum saliens!

Sed magni momenti hoc loco est, quid intersit inter quaestionem: quae caussa mali: et: unde malum; et quae antecedat alteri? Mea quidem opinione, et si supra dicta ita se habent, malo quovis vexatus prius potuisque interrogabit: unde veniat, quam: quid sit, aut quae caussa sit mali? Afflicto quidem calamitate meditatio tranquilla de natura et caussis ejus certe non venerit in mentem, sed etiamsi nolens, momento ictus, respiciet, unde veniat.

Illud ποθεν το κακον; unde malum sit, aut veniat, in fronte ponendum esse tractiationis nostrae nobis videtur.

Sed in quaestione hac ipsa: ποθεν το κακον; το πρωτον ψευδος jam, et modus naturaque

responsi abscondita sunt; facile enim deducit haec propositio inquirentem de natura mali a via recta (*a*).

Luce enim clarius est, mortalium genus originem fontemque mali (quam *nos una* voce culpam nuncupamus) *extra se* quaerendi tam promtum esse atque proclive (*b*).

Sed posterius, id est, effectus mali, in prioris, id est, caussae verae mali, loco ponebant, (quod Graeci dicunt hysteron-proteron, seu hysteriologiam).

Sed ut paucis rem absolvam: ab effectu non revertebantur ad caussam veram, ad efficiens, in se, sed conjiciebant externam quandam caussam, quam complurimi, imo dico, omnes fere in *materia* videbant.

Cum vero malum et mali origo apud totius antiquitatis gentes *objective* prorsus atque *substantialiter* in *materia* posita esse ferebatur, aut in *fato*, seu *necessitate*, aut in *antithesi* boni, ut Heraclitus, Persarum sacra, atque Hesiodus dicunt: ex his necessarie sequitur, ut ipso malo impugnando atque reprimendo bonum atque honestum jam factum esse arbitraretur: cum neque boni (*c*) neque mali originem in homine positam esse opinabantur.

---

a) Quia in animo ita quaerentis jam radices judicii falsi de caussa et origine mali summo jure sunt suspicienda. — Haec enim quaestio, (ποθεν το κακον,) malo, priuspuam indagarit naturam ejus atque indolem, substantialitatem atque objectivitatem adscribere mihi videtur.

b) Hominem sui ipsius morum perversitatis corruptionisque nativae effectus atque eventum, ut praeprimis taedium, segnitiam, morbos, paupertatem atque alias generis humani miserias, prius experiri atque sensire debere, quam in ipsius pectus descendens animadverteret fontem et originem veram omnium malorum — in conspicuo est.

c) cf. Plat. l. s. laud. in Menone.

III.

DE SUBSTANTIA MALI

Sed de materia ipsa nonnulla sunt disquirenda. Totius ferme antiquitatis philosophi atque eorum systemata de malo originali haesitant, seu sunt ambigua. Sed Orientis philosophi a Graecorum scholis etiam in hac praeprimis re differunt, ut illa dualismum atque theoriam emanationis, quae idealismum quendam contemplativum pro signo habet, — hae vero materialismum per decori atque honesti ideam excultum sublimatumque, olent: et medium inter utramque philosophia, seu theologia tenet Aegyptia. Silentio praetereundum non est, quod Aegyptiorum praesertim atque Graecorum, immo totius antiquitatis gentium theosophiae et Cosmogoniae de nocte, Erebo, (Hesiod. μελαινα, ἐρεβεννη νυξ) eadem, quam de materia ipsa praedicent.

Tres igitur sunt notiones materiae et noctis cummunes, *potentiae* scilicet *cosmogonicae*, *physicae* et *ethicae*, notio.

A. POTENTIA MATERIÆ ET NOCTIS COSMOGONICA ET PHYSICA.

Apud Aegyptios Isis seu *Athor* tria praesertim nomina habet: 1. Μωϋθ = mater. 2. Hori domus universa (*a*). 3. Μεθυερ = copia et gremium rerum, materia universi (*b*). — absoluta quidem rerum caussa simul cum noctis notione — σκοτος ἀγνωστον. — Hac conditione ficta est Isis velo nigro tecta, atque silentio colebatur: et quis neget, noctis haec esse attributa? (*c*)

Verum et Platonem audiamus, qui Deum, materiam et παραδειγμα, exemplum origines rerum esse censet (*d*).

---

a) Welthaus des Horus.

b) Weltmaterie. cf. Creuzeri Symb. 1 Bd. 517.

c) Etiam Phoenicum theologia nocti tribuit potestatem cosmogonicam. Si fidem habet Eusebius in praep. s. evang. lib. I. c. 10.

d) cf. Origenis philosoph. cp. de Platone. ed. De la Rue. Paris.

Deus enim est Platone auctore, ὁ διακοσμησας το παν. Materia, ὑλη, ei subjecta est atque δεξαμενη και τιθηνη, recipiens atque nutriens: ex ejus mole quatuor exorta sunt elementa, e quibus mundum confecit Deus. Ὑλην vero *esse* κατα δυναμιν, seu δυναμει, secundum indolem et naturam suam exsistere, pro se, sed non in se, s. κατ' ἐνεργειαν, seu actu; actum vero et την ἐνεργειαν rem esse potentiae se ipsam ponentis. Materiae enim non convenit facultas activa, sed passiva, qua formari quidem, non tamen formare ipsa potest (*a*).

Materia est ἀποιος, absque forma proprietateque, sed formae specieique compos, in corpora, σωματα, transformatur.

Materiam ipsam esse ab initio, atque deo coaevam sempiternamque, = κοσμον ἀγένητον. Haec Plato. Sed Mythorum de cosmogonia duo praecipue constituenda sunt genera: *Orphicum* scilicet et *Hesiodaicum*.

I. Orphica cosmog.	II. Hesiodaica cosm.
a. *Indica.*	a. *Phoenicia.*
b. *Jonica.*	b. *Hebraica.*
c. *Aegyptia.*	c. *Persica.*

Sed non tam strictis limitibus sunt definiendae, ut non unum alterius generis aliquid in se reciperet: imo dico, cosmogonia biblica utriusque cosmogoniae naturam et proprietates in se conjungit; atque etiam cosmog. Aegyptiorum transvergit in Hesiodicam de his mythologiam.

Sed acuratius rem perlustrare volumus.

1. Orphicum cosmogoniae genus, materiam praecipue pro causa reali rerum habet; id ei proprium est, ut res universas ex aqua, (Indice, Nara) derivet. Ex aqua enim, secundum mythologiam Indicam, primus exortus est *Narajana*, seu *Brahma*, ex ovo natus, quo in duas partes diviso, coelum et terra facta est (*b*). Etiam Aegyptius Mythus antiquus aquam et arenam pro elementis cosmogonicis habet. (cf. posterius dicta de his.)

---

a) Ut lingua vernacula utar: Sie besitzt Bildungsfähigkeit, jedoch nicht Bildungskraft.

b) Huic orphico generi similis etiam est Scandinavicus ille mythus in quo *Ganglerus*, rex priscus septemtrionalis, Deos percontatur de principio rerum: „sub initio temporum, priusquam res exstitit ulla, lucida igneaque fuit materia. cf. Schuberts Ansichten von der Nachtseite der Nat. W. pg. 30. 3. Aufl.

Sed quanta sit orphicae illius cosmogoniae, quam nobis Athenagoras(*a*) servavit, similitudo cum Indica nostra, omnibus qui legant, ante oculos est.

Omnes vero hujus generis cosmogoniae in eo etiam conveniunt, ut aquam secum vehere *limum*, molem densiorem, quam materiam habebant rerum, confirmarent(*b*).

II. *Hesiodicum* cosmogoniae genus.

Huic genuinum est, ut *τῳ χαει* et Erebo, seu tenebris potentiam cosmogonicam tribuat. cf. Hesiod. Theog. 4, 116(*c*).

Si nobis intelligendum est sub chaus notione spatium vastum, seu aër et aqua, natura omnia in se recipiens, Platone duce, Gaia, terra non est materia, sed universi caussa materialis et realis(*d*), (generatio prima.) ut Hesiodeice dicam, mater omnia naturans. Chaos et Gaia igitur sunt natura naturans, Tartarus natura naturata.

Eros vero Tartaro oppositus, principium rerum est movens atque continens.

Hesiod. Theog. 123(*e*) generatio secunda Chaos igitur et nox vel potius tenebrae elementa sunt prima rerum secundum Hesiodi carmen, qui in hac re Asiaticam praecipue theoriam secutus esse videtur.

Eundem ferme reperimus mythum apud Phoenices, Hebraeos et Persas.

Cosmogonia enim Sidonica haec est(*f*). *Ἐιτα φησι γεγενησθαι ἐκ του κολπια ἀνεμου, και γυναικος ἀυτου Βααυ, τουτο δε νυκτα ἑρμενευειν. Ἀιωνα και πρωγονον, θνητους ἀνδρας οὑτω καλουμενους.* Si Bochartio credendum est, *κολπια* est vox odoris Dei, קול־פי־יה, quod valde nos monet ad „Evohe-verihe-illud" in Zendavesta. *Βααυ*, sive ut vult Bochartius, *Βααυτ* gremium,

---

a) Athenag. legat. pro. Christ. f. 18. ed. Colon. cf. etiam. Kreuzers Symb. 3. Bd., 3. Kap. 2. Aufl.

b) Quod Chemici nuncupant praecipitatum, nostrique saeculi naturae periti Niederschlag. cf. Schuberti Ansichten rc.

c) *Ἠτοι μεν πρωτιστα χαος γενετ', ἀυταρ ἐπειτα*
Γαι' εὐρυστερνος, παντων ἑδος ἀσφαλες αἰει,
Ταρταρα τ' ἠεροεντα μυχῳ χθονος εὐρυοδειης,
ἠδ' Ἐρος, ὁς καλλιστος ἐν ἀθανατοισι θεοισι etc.

d) Sec. Kreuzer, 2. Bd. pg. 418. Realgrund.

e) *Ἐκ χαεος τ' Ἐρεβος τε, μελαινα τε νοξ ἐγενοντο,*
Νυκτος δ' αὐτ' Αἰθηρ τε και Ἡμερη ἐξεγενοντο,
Οὑς τεκε κυσσαμενη, Ἐρεβει φιλοτητι μιγεισα.

f) Euseb. praep. ev. I. 10.

mater rerum cum flatu illo aeterno (*κολπιας*) procreans et nutriens. Quam lucide haec admoneant ad biblicam genesin rerum, nemini non in conspicuo est (*a*).

Jehovah igitur, seu *κολπια ἀνεμου*, sive Zeruane Akerene, sive Honover, prodire jussit universum e tenebrarum gremio atque chaotico certamine, quae vacuum explebant et incumbebant fluctibus.

Apud omnes fere religiones Asiaticas *nox* primordium est atque gremium rerum; ex ea lux, dies, ut e fluctibus terra compacta, prodiit.

Accedit etiam ille apud gentes Semiticas mos dierum numerandarum, quo scil. vesperam hujus pro initio habebant sequentis diei.

Sed haec illa Mosaica altera ex parte ad Indicam et Orphicam spectat cosmogoniam. Cui enim non inciderit in mentem Indicum illud et Orphicum ovum universale (*b*), si de Mosaico nostro spiritu Dei audierit fluctibus impendente? Hic et illic humida jam ante creationem rerum inveniuntur; hic et illic Coeli et Terra ex una materia et mole exstiterunt, divisa, tanquam, et dimidiata in duo partes ovi testa.

Postremo tandem Titanicum illud genus valde nos monet ad hominis creationem e *limo*, id est, אדמה, si derivari licet vocem: Titanus a טיט, lutum (*c*).

Mosaica igitur Cosmogonia medium occupat inter Orphicam et Hesiodicam.

Ad Persicos tandem venimus mythos de origine rerum: *Omnia esse per Thesin et Antithesin* (*d*).

---

a) Hic etiam erit locus, ut admoneam lectorem benevolum ad Schellingii librum: **Ueber die Gottheiten von Samothrace**: ubi eandem fere sententiam sequitur, Graecorum scilicet non esse ab Aegyptiorum sacris hausta, sed potuis a Phoeniciis et Hebraeis: — immo dico Asiaticis systematibus.

b) **Weltei.**

c) cf. Hesiod. Theog. 207. et Plut. de Isid. et Osir. op. 49. Hesiodus dicit de Jove: *νεικειων*, *conviciens* adpellavit eos *Titanos*. Et Plut.: *Τυφων δε, της ψυχης το τιτανικον και παθητικον, και ἀλογον, και ἐμπληκτον.* Nonnulli vero sunt, qui derivare solent hanc vocem a *ταινω*, porrigere, tendere, qui manus contra Coelum seu Deos porrexissent: et Plutarchi allegorizantis locus supra laudatus hanc explicandi rationem adjuvare videtur. Sed Hesiodus *nostram* commendare videtur expositionem, praecipue scil. *τῳ* verbo: *νεικειων*. cf. etiam Jes. 41, 25. Nah. 3, 14. Ps. 18, 43. 69, 15. ubi טיט, lutum, occurrit.

Id quod etiam monet ad Goethii nostri drama: **Faust**, qui Mephistophelem objurgans adpellat: „**Spottgeburt aus Dreck und Feuer.**"

d) Sed non haec rerum caussa per thesin et antithesin confundenda cum Dualismo Persarum

Dualismus igitur hic Oromazis et Arhimanii non potest habere cosmogonicam sed modo ethicam potentiam (*a*).

Quid ergo? Arhim. et Orm. potentias esse cosmogonicas omnino nego: ethicae enim modo sunt.

Sed in alium incidimus Persarum Dualismum, ab illo ethico atque personali Arh. et Orom. longe diversum, quem distinctionis caussa ontologicum, seu physicum nuncupare velimus (*b*).

Et hujus ontologici Dualismi principium est: „discordia rerum origo." et quando

---

est, Oromazis sc. et Arhimanii, qui ethicae modo sunt, et esse possunt, potentiae, non tamen cosmogonicae, et hoc quidem his de caussis:

1. quia utrique eorum tribuitur voluntas atque personae natura: sunt enim Oromazes et Arhimanius substantiae individuae, intelligentes et incommunicabiles: ὑποστασεις, a Persis habitae. Duo vero voluntates sibi contrariae in idea et fine se vicissim impugnant, et tollunt: *unum* ergo mundum *duo* creare non possunt.
2. Si duo sunt ὑποστασεις, genuinam sibi potentiam uterque habeat necesse est utriusque igitur vires incommunicabiles sunt, est ergo aut utraque potentia *activa*, aut utraque passiva. Sed ad creandam seu formandam rem quandam necessariae sunt substantiae duo communicabiles, vis activa, et vis passiva; id est: vis communicans et vis in se recipiens.

a) Caeterum accedit hoc quoque quod Orom. et Arhim. secundi ordinis erant Dii; tertii igitur numinis memorant mythologi, quod principium atque vis originalis sit rerum creatarum: et hoc numen est *Zeruane Akerene*, ἡ νους, ὁ λογος; Honover, quod numen etiam constituit aeterna lege, ut Arh. et Orom. inter se pugnarent atque bellarent, et dierum sub fine decrevit ut Arhim. ab Orom. subageretur, et *reconsiliaretur bono* cum *numine malum.* Hoc igitur altum consilium, seu verbum aeternum, potestate supra est atque ante Orm. et Arh. et horum dualismus in eo est sublatus. Hoc illud tertium Mithras est, inter diem posita et noctem, atque utramque reconsiliatura; dualismum igitur offendit, antithesis igitur est theseos et antitheseos, i. e. tum Arhimanii est antithesis cum Oromazis.

Cum igitur antithesis, qua antithesis se ipsam ponens, thesis fit, Mithras opposita est utrique atque auffert Antithesin atque certamen eorum. Comparandae sunt hae Mithrae cum fati vicibus.

b) Dualismus enim est typus atque forma qua Persarum gens bellicosissima ferocissimaque omnia sibi fingebat; ipsa semper ad pugnam parata, omnia in certaminis forma exsistere atque persistere intelligebat. Virtus exercenda non erat alia, quam bellum contra Arhimanium ejusque Dews. Dualismi igitur caussa atque principium non in se, sed potius sita est in natura indoleque Persarum gentis alacri atque strenua, quae genuitas etiam magni momenti erat in cogitandi et intelligendi ratione.

vires sibi oppositae ad fontem suam communem recederint, atque in unum erunt iterum confusae, tunc rerum erit terrestrium finis.

E confusione igitur et certamine rerum viriumque oppositarum, quod chaos dicimus, ipsae lucis regiones atque noctes prodierunt (*a*).

Nox igitur, materia, fluctus, arena, etc. in unum vergunt, elementa enim sunt atque vires reales (*b*). Ab initio rerum Chaos esse, etiam in Persica cosmogonia sub intellectum est atque opinatum.

Ex his omnibus conspici potest:

1. distinguendum esse inter potentiam cosmogonicam et ethicam.

2. distinguendum esse inter noctem absolutam, et relativam; i. e. inter tenebras, elementum noctis, et noctem qua oppositionem Diei et lucis.

לילית enim illa, seu Eusebii *Βααυ* Tyriorum Militta, Astarte, Venus Urania, Isis, Arabum Alitta, ut paucis dicam, *σκοτος* ille *ἀγνωτος, κοσμος ἀγενητος*, gremium rerum — non est illa nox turbulenta vastaque Arhimanii, neque illa Typhonis incumbens et premens, aut Hesiodi *νυξ ἐρεβεννη*. Illa igitur noctis notio ethicam potentiam non admittit, sed meram cosmogonicam et physicam; haec vero noctis notio vice versa, non cosmogonicam sed meram ethicam potentiam habet.

Luci atque diei opposita, cum scil. dies ea exorta, ipsiusque genetricis exstitit antithesis, nox, Arhimanii et Typhonis elementum est facta.

Accedit etiam quae Plutarchus in lib. s. de Is. et Os. (*c*) philosophatur de bono mixto cum malo in mundo, et de hujus opificio. Quaeritur enim, num creator ipse rerum etiam potuisset creare mala? Refutat Plut. Democriti et Epicuri sententiam de praeexistentia (verbo sit venia) atomorum, seu *δημιουργον ὑλης ἀποιου*. Opinionem vero Stoicorum, qui *ἑνα λογον, και μιαν προνοιαν* sumant pro initio rerum, magis probat. Non enim dicit cogitari posse apud omnia boni una cum mali aliquid, nisi Deo auctore.

---

a) Chaos igitur est Dualismus noster ontologicus concretus. Chaos enim non est merae turbae legis expertis notio, sed ut biblice et belle dicam: *Spiritus Dei impendebat ei.*

b) Realkräfte.

c) op. 35. ed. Hutten.

Deinde perlustratur Heracliti sententia, qui in antithesi positam esse mali naturam suspicatur, repetens Euripidis versus insignes illos (*a*).

Cum igitur, explicat Plutarchus, nihil ortum esse potest sine caussa, et cum bonum non potest esse mali fons, natura necesse est ut ipsa creatrix atque genetrix sit rerum, tum bonarum cum malarum.

Atquae in hac ipsa natura recondita esse duo numina, dicit Pl. cp. 46, inter se certantia, *ἀντιτεχνους θεους*, quorum unum esse deum, alterum daemonem. Nunc percurrit Plut. breviter omnes fere philosophorum theorias de creatione rerum, et venit tandem ad Platonem, quem castigat, quod abscondat veram suam sententiam de rerum principiis inter contrarias ambiguasque opiniones, quarum nunc in una, nunc in altera nittatur (*b*).

Physicam vero non posse cogitari vim, constat, sine *materiae* ponderabilis nutu contrario (*c*), quae hunc virium impetum in se recipiat, continuat et expandat secundum naturam suam elasticam.

Materia enim constituta est, ut, qua aeternae vis potentiaeque antithesis physica, in tempore spatioque eam vim continuat et propaget.

Sed antea Dualismi illius meri ethici Arh. et Orom. cosmogonicam atque physicam potentiam diffitens, valde tamen mihi cavere velim, ne illius *materiae* et vis dualisticae potentiam et vices cosmogonicas negare videar.

Deinde, ut antea ethici dualismi potentiam denegavi cosmogonicam, quia duo voluntates sibi contrariae nihil creassent; sic physicum hic dualismum, materiae et vis, constituendum in universo creando esse censeo.

Si enim e duabus *δυναμεσι* tertium aliquid prodire debet, necesse est, una sit vis *activa* (*d*), altera vis *passiva* (*e*) seu *receptiva*, (vires enim activae se vicissim tollunt)

---

a) *οὐκ ἀν γενοιτο χωρις ἐσθλα και κακα,*
Ἀλλ' ἐστι τις συγκρασις, ὥστ' ἐχειν καλως.

b) Plutarchus enim in animo habet Platonis illum locum in libro de legibus: *οὐ μιᾳ ψυχῃ κινεσθαι τον κοσμον, ἀλλα πλειοσιν ἰσως, δυοιν δε παντως, οὐκ ἐλαττοσι*: quorum unum nuncupat *ἀγαθουργον*, alterum *δημιουργον*. Et Plato quoque hunc Dualismum sustulit per tertii cujusdam numinis assumtionem, quod, ut Persarum *Zeruane Akerene*, aut Mithras, medium obtineret locum.

c) id quod est: **Gegendruck.**

d) Osiris = *διδων τας ἀρχας.*

e) Isis = *ὑποδεχομενη και διαμενουσα.* cf. Plut. Os. et I. cp. 64.

Et quis nunc abnuet, materiam istam substantiam passivam, vim receptivam, et vim activam esse numen illud supremum, quod solum qua potentia admittit substantiam sibi oppositam (sed non se ipsam opponentem) *materiam*; qua numen vero supremum aeternumque, qua principium rerum, omnis dualismi alienum est. Sed reliquum est ut etiam

B. MATERIÆ POTENTIAM ETHICAM ET METHAPHYSICAM

perlustremus breviter.

Materia igitur et nox qua potentiae cosmogonicae nullum habent in rebus ethicis pondus, neque malum neque bonum, nonnisi se ipsas ponentes atque formantes exstant et agunt: tunc demum pari modo fiunt pravae atque noxiae, quo se avertunt et ab-alienantur a numine et vi principali semper mobili moventeque (*a*).

Degenerantia, segregantia se, ponderantia, labentia atque incumbentia elementorum chaoticorum, quae sunt lutum et limus, moles densior chaus fluctuantis, motu conglomerata et evulsa — hae modo, dico, partes segregantes momenta ethica esse.

Si niti decet in mythum illum Orphicum, quem in Athenagorae legatione pro Chr. invenimus, res erit omnibus conspicua: Terra enim, quae unacum Urano prodiit e testae ovilis dimidiatae parte nondum erat potentia ethica, nec opposita Urano, conjugium enim erat inter eos, sed proles hujus conjugii, cujus una generatio in Tartarum expulsa, altera vero ex ipsa Terra sine marito Urano ad iram et ex ira concepta et nata est, genus illud Titanicum atque seditiosum: hoc, dico, genus turbarum malorumque auctor fuit, quia a matre tantum prognatum erat, et progenies *separationis* atque *irae*.

Quando igitur *materia* et *nox* ethicam accipiunt potentiam? resp: cum ὑλη ἀποιος et νυξ ἀγνωστος, seu κοσμος ἀγενητος, factus est κοσμος γενητος, ὑλη vero exstitit ponderans, ἡ νυξ αὐχμηρη; et tunc demum nocti et materiae tributa sunt eadem (*b*).

---

a) Hoc forsitan erit etiam aliquid in meam rem, quod Schubertus in lib. s. sup. laud. de cosmogonia Scandinavica, (quae hausit ex Edda Islandica) narrat: *venenum* igitur exstitisse e flammarum gremio, quod venenum Edda numen vocat altis mysteriis occultum: et id principium separationis venenum adpellatum est ingeniosissime.

b) Sed operae erit pretium, audire Jamblichum Chalcidensem in libro suo de mysteriis. Sectio I. cp. 18 sec. ed. Thom. Gale. Oxonii 678 ubi cum magistro suo Porphyrio de *Deorum* et *materiae* natura disputat: Quaeritur enim: „quid id sit, quod Deorum hi sint ἀγαθοποιοι illi

Sed silentio non praetereundum est id quoque argumentum, materiae apud veteres gentes potentiae ethicae: quod nempe omnia ferme quae ad materiam et noctem pertineant, *mali* et *noxii* sint *symbola*. Paullo inferius hanc rem accuratius perlustrandi nobis erit locus opportunior.

Ex his igitur omnibus satis compertum est, totius ferme antiquitatis gentes, immo dicam, sectas quoque Christianorum nonnullas omnis aevi, originem atque sedem mali in natura materiaque positam esse constituisse (*b*); atque eo tantum modo in homine ipso esse sitam, quoad corpore *materiali* sit circumfusus animus, consedisse. Unde etiam totius antiquitates sententia illa tritissima, quod corpus sit vinculum animae (*κατα σαρκα δεσμον*) quia potius in corpore quam in animo sitam esse censebant libidinem perversitatemque naturalem. Haec enim opinio per totius orbis antiqui gentes erat diffusa, atque in ore omnium, ut superfluum esset hujus rei argumenta auctoritatesque cumulare.

Nam ut *in natura materia* a Deo segregans atque ipsam se ponens extra Deum (*b*)

---

vero *κακοποιοι*?" Hanc esse dicit Jambl. Astrologorum fictionem. Deos esse omnes bonos verosque, et *ἀπαθεις*, *ἀτρεπτους*; boni modo, non mali auctores, sed cum creaturis flexibilibus obnoxiisque turbationi versari. De universo vero dicit, *πολυειδης οὐσα και ἐκ διαφεροντων συνισταμενη*, *τῃ οἰκιᾳ μεν ἐναντιωσει και διαιρεσει, μαχομενως και μεριστως*, i. e. non sine perficacia atque per partes modo naturam *το ἐν* in se recipere posse. Quae enim Dii sentire non possent ipsi (quia sunt *ἀπαθεις*), id fieri permittunt per sensus, i. e. *παθητικως χωρει το ὑπαθες*. Mundus igitur particeps fit *του ἑνος, του θειου,* non modo rationeque divis ipsis propria, sed secundum huic mundo ipsi legem insertam naturamque genuinam. Atque hoc ipso a divini numinis ratione recipiendi alieno modo (scil. per sensus affectionesque) fit, ut divina dona bonaque hominibus a Diis impertita, reddantur justo saepius tam diversa, ut ne paullulum quidem divini atque boni iis inesse videatur, sed humanam naturam modo oleant. Sed ipsum audiamus Jamblichum: *και ὁλως κατα την οἰκειαν φυσιν, οὐ κατα την ἐκεινων* (sc. *θεων*) *δυναμιν πεφυκεν* (sc. *γενεσις*) *αὐτων μετεχειν. ὡσπερ οὐν* (so daß) *το γενομενον του ὀντος γενητως, και το σωμα του ἀσωματου σωματοειδως μεταλαμβανει*: ita ut creatum particeps fiat non creati, *του ὀντος*; ratione quidem creato ipsi propria: sic et cohaerere cum non corporeis corpora horum naturae indolique ratione genuina. Qua de caussa eos a veritate aberrare, qui speciem, colorem, superficiemque alicujus rei huic etiam tribuant, ex quo sit orta; qui in Coelestes (*τα οὐρανια σωματα*) mali culpam conferant, quia id quod eorum particeps est, et quod ad eos spectat, malum sit. Communicare igitur seu reconciliare nulla potentia se potest alteri sibi alienae.

a) Unius testimonium sufficiat hic quod mihi in mentem venit: Philonis sc. in leg. Alleg. lib. I. fol. 59 ubi dicit: *ἐπιθυμιαν του σωματος*. atque in novo testamento sexcenties.

b) Lingua vernacula: sich außer Gott setzen: Abfall.

existimabatur: ita etiam in *homine*, hoc microcosmo, partem quidem unam melioremque divini numinis esse, *το λογικον*; alteram vero, quod corpus est, *το ὑλικον, το ἀλογον*, seu ut Plutarchus dicit: *το τιτανικον*, esse praedicabant.

Hic igitur ille Veterum Deus agitans in nobis idem est, qui universum gubernat, atque ut *hic* mali noxiique caussa potentiae huic numini meliori alienae contrariaeque tribuitur, etiam *illic* in mortalium pectora conflatum est certamen partis pejoris cum meliore; corporis intelligo cum animo (*a*).

Noxii igitur in natura potentiam atque materiam eandam esse censebant quam in homine mali.

Ideoque erant alieni ab opinione de naturae nostrae spiritualis perversitate innata ut divinatione quoque haud eam inciderint (*b*).

Sed ad scopum nostrum prosequendum, recurrendum est ad supra dicta: quod nempe malum substantialiter atque objective et pro se consistens sit arbitratum, et non tam in homine; sed in *natura* et materia positum. Ea quae sub fine partis nostrae tractationis secundae dixi, lectoris in memoriam revocans atque remittens ad

---

a) Pythag. de anima: *ἐκ λεπτοτατου αἰθερος ῥυμη φυσικῃ κατασπωμεναι*, ne possint *μετεωρους φερεσθαι*. Sed pro multis hic solus Philonis locus de leg. Alleg. lib. I. fol. 59 ubi ad virtutem percipiendam tractandamque hoc solum opus esse *του λογισμου, το δε σωμα, οὐχ οἱον συνεργει προς τουτο, ἀλλα και κωλυσιουργει. σχεδον γαρ σοφιας ἐργον τουτ᾽ ἐστιν ἀλλοτριουσθαι προς το σωμα και τας ἐπιθυμιας ἀυτου.*

b) Sed in mentem mihi venit illud Pythagorae dictum, quod in tota antiquitate singulare mihi videtur et eo amabilius ingeniosiusque. ubi enim quaeritur P. *τι ἀληθεστατον λεγεται;* respondet: *ὅτι πονηροι ὁι ἀνθρωποι.* Nec non etiam dystichon bellum atque egregium Hippodamantis poetae:

Ὦ θεοι ποθεν ἐστε, ποθεν τοιοι δ᾽εγενεσθε;
Ἀνθρωποι ποθεν ἐστε, ποθεν κακοι ὡδ᾽ ἐγενεσθε;

cf. Jamblichi vit. Pyth. lib. I. cp. 18. sec. ed. Franeck. 4°.

IV.

DE NATURA MALI

partem pervenio.

Postquam enim in parte antecedente materiae naturam atque potentias diversas investigavimus invenimusque ethicam ὑλησ potentiam esse antitheticam, i. e. malam; nunc inquirendum est praeprimis, quo signo et qua forma cognosci possit malum.

Effectus varii eventusque, qui materiae potentiam multiplicant, singularibus personis sive daemonibus, ipsa materia comprehensis, ad scripti sunt apud Veteres, quos nostratum nonnulli adpellabant: „Elementargeister, sive Naturgeister."

Sic mala principia in persona Typhonis Aegyptiorum, Arhimanii Persici et Tartari Hesiodici vidimus inducta.

Plutarchus (*a*) enim has inter ὑποστασεις nullum omnino discrimen facit, cum Aegyptiorum comparat cosmogoniam cum Hesiodica; hujus enim Chaos et Terram illorum Isidi, hujus vero Ἐρον Hesiodi Osiridi, atque Tartarum Typhoni, correspondere.

Idem Plutarchus paulo ante (*b*) Typhonem comparat Arhimanio. Sed exquisitius rem e Plutarcho percontemur, — cujus opus insigne jam supra laudatum nobis quantum sat est, praebet testimonia.

Cp. 32. igitur Aegyptiorum religionis cum Graecorum similitudinem in eo, quod haec Κρονον ἀλλεγορίζει χρονον, Ἡραν δε τον ἀερα, γενεσιν δε Ἡφαιστον, την εἰς πυρ ἀερος μεταβολην (*c*): et quod Aegyptii pari modo Νειλον εἶναι τον Ὀσιριν, Ἰσιδα συνοντα τῃ γῃ, Τυφωνα δε θαλασσαν, εἰς ἣν ὁ Νειλος ἐμπιπτων ἀφανιζεται και διασπαται, dicant.

In capite vero subsequente 33 dissolvit allegoriam: ὁι δε σοφωτεροι των ἱερων οὐ μονον τον Νειλον Ὀσιριν καλουσιν, οὐδε Τυφωνα την θαλασσαν, ἀλλα Ὀσιριν μεν ἁπλως ὑπασαν την ὑγροποιον δυναμιν και ἀρχην, αἰτιαν γενεσεως και σπερματος οὖσαν νομιζοντες. Τυφωνα δε παν το αὐχμηρον και πυρωδες και ξηραντικον ὁλως και πολεμιον τῃ ὑγροτητι.

---

a) Lib. de Isid. et Os. c. 57 ed. Huttenii.

b) Plut. Os. et I. cp. 46.

c) cf. locum huic similem Philonis de vita contemplat.

Cp. 45 dicit: οὐ γαρ αὐχμον, οὐδ' ἀνεμον, οὐδε θαλλάτταν, οὐδε σκοτος, ἀλλα παν ὁσον ἡ φυσις βλαβερον και φθαρτικον ἐχει μοιριον, Τυφων ἐστιν. Quidquid igitur natura noxii in se tenet, id pro Typhonis particula est habendum: mali ergo principium atque elementum apud Veteres (Aegyptios certe) *noxium* est.

Sed longius res petenda est; usque enim mali modo formam atque elementum in natura investigavimus cognovimusque, ut dicam, potentiam mali physicam, nunc vero inquirenda est mali potentia secunda, Metaphysica et ethica. Neque hic a Plutarchi libro supra laudato derelinquimur.

Cp. 49. Pergit loqui Plutarchus: Cum igitur mundus e bifariis et sibi oppositis potentiis compositus sit: a pejori vim meliorem (quamquam sit potior illâ) (*a*) tamen superari posse atque perverti; multum enim etiam valere in corpore vim illam pejorem et in cujuscunque animo, semperque bellum gerere cum meliori parte (*b*).

Contrariam vero vim illam in corpore atque animo valentem Typhonem esse dicit. Τυφων δε της ψυχης το παθητικον και τιτανικον (*c*), και ἀλογον και ἐμπληκτον (*d*), και νοσωδες, και ταρακτικον ἀωριαις και δυσκρασιαις και κρυψεσιν ἡλιου, και ἀφανισμους σεληνης, οἱον ἐκδρομαι και ἀφανισμοι, — Τυφωνος.

Cp. 64. Ut brevi dicam, dicit Plut. neque aqua, neque sol, neque terra, jure possunt dici Osiridem atque Isidem, neque Typhonem ignis, neque siccitas (αὐχμος) neque mare, sed simpliciter, quae in his sunt, effusa, atque immodica, (ἀμετρον) modum ordinemque excedentia, και ἀτακτον ὑπερβολαις, ἡ ἐνδειαις) Typhoni adscripta sunt; ordinati vero boni utilisque Isis auctrix, prototypas atque typas rerum, et mens Osiris habitus est (εἰκονα δε και μιμημα) Osiris deinde qua Auctor atque prima, activa vis naturae, (διδων τας ἀρχας) Isis vero quâ vis accipiens et in se recipiens, passiva (ὑποδεχομενη, και διανεμουσα,) existimabatur.

---

a) Ut Plut. dicit: βελτιονος ἐστι το κρατος

b) Ut enim in terra, vento, coelo, undis astrisque stabilitas, persistentia atque sana (ὑγιεινα) quaeque sint in tempestatum, temperamentorum ac conversionum vicibus conspicua Osiride auctore atque ejus imagines sint: — in animo etiam Osiridem esse ducem atque dominum praestantissimum, id quod est sanitas aequitasque, rationis mentisque illa constantia.

c) Remitto ad supra dicta de hac voce.

d) Mobilia, flexibilia, inconstantia: adscitium, i. e. quaequae praeter naturam adsciscit sibi corpus, morbis non raro ansam praebent.

Principium igitur atque potentia ethica apud veteres Aegyptios symbolis (*a*) naturalibus erat inducta. Isidis et Osiridis quidem opus sub ordinis utilitatisque, Typhonis vero sub noxii atque inordinati arbitrii signo cognoscebatur.

Haec de Typhone Aegyptiorum. Reliquum est, ut etiam de Persarum Arhimanio et de Graecorum Tartaro pauca disseramus.

Arhimanii igitur elementum noctem esse satis constat, nox illa incubo (*b*), onerans atque premens, cui ignorantia, errores, mendacium et pigrities adtributa sunt.

Persas enim mali notionem *idealistice* comprehendere in conspicuo est. Ad Graecorum Tartarum venimus tandem, qui medium inter Aegyptiorum mali naturalis (*c*) atque materialis et Persicum idealisticum tenet symbolum.

Symbolum igitur est Tartarus ex artis atque honesti notione petitum (*d*).

Tartarus igitur qua potentia cosmogonica est natura naturata; secundum potentiam suam ethicam naturae adhaerens vitium degenerati, separati, monstruosaeque deformitatis (*e*).

Mali igitur idea, cujus principium elementumque originale materia et nox est tribus praecipue notionibus consideranda.

1. Typhonis enim persona prima repraesentatur ratio mali naturalis, scil. noxii, in constantiaeque momentum.

2. Secundum mali symbolum Arhimanii est illud idealisticum ad intelligentiam potius spectans, tenebrarum scil. atque ignorantiae notione.

3. Tertia denique, et Graecis propria, mali ratio sub foedi atque deformis notione cogitatur.

Hic etiam loco erit suo, ut mentionem faciamus egregie dicti a Paulo ap. Rom. 2, 14, quod jam supra laudavimus.

Ethnicos, qui lege morum positivae carerent, legem habuisse in se ipsis: id nihil aliud est, quam: quia non revelatus erat iis Deus religione seu lege positiva, cognitionem Dei e creatione naturaque hauserant.

---

a) Natursymbole.
b) Weltalp. Homeri Ἐφιάλτης.
c) Materielles Natursymbol des Bösen.
d) Kunstsymbol.
e) cf. Creuzer. Symb. 1 Th. pg. 418.

Atque ut Judaei ex ipsa lege, sive sit assertoria, sive prohibitiva, cognoverant prohibitum, id quod malum est (*a*): ita Ethnici e natura cognoverant naturae legibus quae sint opposita contrariaque: illi enim per legem divinam ipsum cognoverant malum, sed hi imaginem modo mali, sub symbolo naturali scilicet, sub noxii etc. notione.

In religione igitur revelata malum est, quod *legi divinae* est oppositum, in religione naturali id quod *naturae* legibus est adversum.

a) cf. Rom. VII. 5 — 10.

V.

DE ASCESI VETERUM

INDICA ASCESIS.

Utut igitur idea quaecunque ad vitam tam exteriorem quam interiorem pertinens duabus certe partibus de fine suo vero deflectere solet, prout unum elementum alteri praevaleat: ita etiam in hoc studio hominum ascetico aut practicam, sive realem, (ut apud Judaeos, Graecos et monachos christianos), aut contemplativam, sive idealem, ut apud Indos, praedominantem comperimus partem.

Cum vero totius antiquitatis sectas asceticas his duobus elementis mixtas invenimus, rei convenire mihi videtur, Indicae philosophiae expositionem praemittere, quia meram contemplativam mysticamque naturam prae se fert, et omnia asceseos genera ex ea hausta et orta esse, in comperto est.

Qua de caussa haec Indorum ascesis nec in serie nec in ordine aliorum generum, sed ut partem per se ipsam constantem, proprio et singulari loco ponenda tractandaque esse videtur (*a*).

In hac Indica philosophia duo praecipue theoriae sunt constituendae.

Theoria *emanationis*, Brahmaismus, quae sane vetustissima, et natura sua *pantheistica* est (*b*).

---

a) Subsidia, quibus usus sum, sunt: 1) Creuzers Symbolik, P. 1. 2) Görres Asiatische Mythengeschichte, 1 Th. 3) F. Schlegel, über die Sprache und Weisheit der Indier. 4) Sprengels Bibliothek der Reisebeschreibungen, 32r Bd. 5) de hac materia nobis tradita in XVI. tomis adhuc editis of the Asiaticks Researches. 6) Wilhelm von Humboldts Vorlesung über die unter dem Namen Bagavad-Gita bekannte Episode des Maha-Bharata.

b) Jure enim castigat Goerresius in libro suo supra laudato F. Schlegelium, qui theoriam emanationis aliam esse quam theoria pantheistica, dicit in lib. suo Ueber die Sprache und Weisheit der Indier.

Lege enim illa, qua partes et singularia ad totalitatem ascendant, et reverti studeant ad fontem; non minus, quam opinione Indorum, Deum esse originem et fontem rerum, et omnia in eo, eumque in omnibus esse, satis liquet, emanationis philosophiam Indorum ea ipsa etiam pantheisticam esse.

Hujus philosophiae propria sunt dogmata:

A. Omnia quae sunt, et universum ipsum intimis in visceribus, improba et mala sunt. Inde illa tristis et tetrica vitae rerumque sententia; inde doctrina illa de quatuor aevis; inde lex illa continuae depravationis et perniciei in ipso emanationis actu posita; inde immodica illa tristitia culpae mortisque persuasae.

B. Doctrina *de immortalitate animi* (*a*).

C. Sed amabiliorem celsioremque doctrina illa habet virtutem, *quae ab origine hominum divina* occasionem captans, *ad reditum semper monet.*

D. Doctrina *de transmigratione animae*, quae hujus *praeexistentiam* (sit venia verbo!) comprehendit (*b*).

Caeterum negare nemo potest, quod haec Brahmae religio et cultus fatalismi non parvam contineat partem; neque enim mirandum est, quod degenerasset (incarnatione secunda, cum Siwa extitisset) in cultum illius *Lingam*, orgia, hostia cruenta et inebriata phantasmata.

Et cultu illi naturae saniori puriorique Brahmae depulso perfugium dabant Aegypti nomi, quorum templa destinata mihi esse videntur a providentia divina ad reservanda totius mundi mysteria sacra, et ad conciliandam totius antiquitatis sapientiam.

Aegyptus enim transitus et communio veteris Indici et Orphici mythi extitit; ut enim in lege illa naturae vetustissima Montis Meru per Isthmum Arsinoiticum translata in Occidentem, Orphica, Jonica, Pythagorica et Platonica philosophia nitebatur: ita

---

a) Corpora enim esse mutabilia, animum immortalem; non enim cogitari posse, existens aliquid fieri non existens; mortis enim etiam regenerationis necessitatem comprehendere.

„Dem Werdenden steht fest Tod, fest steht Geburt dem Sterbenden.“

Bhagavad-Gita II. 28.

secund. W. d. Humboldti versionem.

b) Duplex cogitari potest migrationis modus: origini divinae aut adpropinquante aut recedente cursu: hic quidem posterior legi depravationis consentaneus est: sed opinio haec ad doctrinam christianam propius accedit, cum — una ex parte — per hanc metemphychosin perpetua hominis ruina et decessus a fonte originali, — altera ex parte — spes atque opinio reditus et reconciliationis cum Deo: necessitatem intercessoris (μεσιτου) reconciliantis inter Deum hominesque comprehendit. Altera vero migrationis animae via, cursu scilicit adpropinquante, spectat ad Dualismum et Parsismum, qui nulla intercessione indiget, cum lege quadam aeterna, quam Zeruanen Akerenen seu fatum nuncupare possumus, Arhimanii clades constituta est.

etiam post saeculorum decursum reconciliavit haec Occidentis systemata novam illam saluberrimam divinamque Orientis disciplinam Jesu Christi per Neoplatonismum Alexandrinum.

Sed tertia incarnatione remotus est Lingam, et exortum est certante Wischnu cum Siwa systema Dualisticum quod per Persiae ora diffundebatur (*a*).

Nunc vero superest ut describamus breviter

INDICAM ASCESIN IPSAM.

Summus hujus asceseos finis est *cognitio* et *intuitus* Dei.

Ad haec assequenda fugiendus est tactus omnium rerum externarum; omnia enim, quae nos ad sensualia et externa trahunt, scopo nostro sunt contraria.

Inde etiam in *agendo ipso* aberramus a fine nostro, actio enim omnis nos implicat rerum externarum legibus, et a mera meditatione animum deducit. Cum vero in actionis notione corporis quamvis functionem et quamvis materiae mutationem comprehendit haec doctrina, non cogitari potest vita gestione ulla carens.

Agendum igitur est *sine eventus ratione.* Aequo animo agendum est, sine fine, sine studio, sine voluntate in aliud quam in agendum ipsum directa: haec enim mentis aequitas sapientis est, quae non solum aestum frigori, voluptatem dolori, successum rei impedimento, secunda adversis, victoriam stragi, honorem infamiae ponit in aequo; sed vel inter amicos et inimicos, inter bonos et malos stat ira studioque vacuus.

Captus tantum rebus terrenis se ipsum praedicat auctorem acti; sapiens vero nunquam, et omnia sua facta deponit in numine divino: et ita insons culpaque vacuus semper erit, ut Lotus aquis etsi innatans non tamen rigatur (*b*).

---

a) Nihil adtinet me plura scribere de quarta incarnatione, *Buddha*, cujus cultus ad Asiae gentes et Germaniae septentrionales perducebatur. cf. Asiatics Researches V. I. pg. 415 ed. Lond. Nor can we doubt that *Wod*, or *Woden*, whose religion as the northern historians admit, was introduced into Scandinavia by a foreign race, was the same with *Buddh*, whose rites were probably imported into India, nearly at the same time, though received much later by the Chinese, who soften his name is into Fo.

b) Im Handeln sey des Werths Würdigung, in den Früchten dir nie und nie.
Nicht sey, dem Handelns Frucht ist; Sucht nie sey nach Nicht handeln dir.
Vertieften Geists, von Sehnsucht frei, so handle, Geldverschmäher, du,
Ob erfolgreich, erfolglos, gleich; Gleichmuth Vertiefung wird genannt.
Bhagavad-Gita II. 47 — 48.

Ita igitur actio, in non agendo posita, efertur ad meram spiritualem et internam (*a*), et hac via Dei cognitionem et intuitum assequitur sapiens.

Hujus vero cognitionis tres distinguendi sunt gradus, quorum primo, totum in parte; altero, in parte tantem conspicitur pars, tertio denique gradu, pars in toto, et totum simul in parte, sive, quo Deus uno momento cognoscitur sumul atque intuitur (sec. Schellingii philosophiam: „Die Identität des Subjectiven und Objectiven.")

Non igitur tantum in ratione (Sankhya), quam in contemplatione et intuitu (Yoga) finis ascesseos est positus.

Yoga, quam vocem interpretatur v. cl. de Humboldt lingua vernavula Vertiefung, est *contemplatio in sui ipsius animi gremio requiescens:* animus ille ascetae (Yoghi) constanter fixus in Dei notionem, qui ab omnibus rebus externis, ab ipsa quoque cogitatione abductus, sensuumque antennas in se subducens, testudinis instar, corporis motus, quam fieri potest, sistens, in Dei abyssum submergitur et eo conjungi (*b*) adnititur (*c*).

---

a) Wer den Gliedern der Schildkröte gleich, zurückzieht überall
Die Sinne von dem Sinnreizstoff, des Geist in Weisheit fest besteht.
Bhagavat-Gita II. 58.

b) Id quod Yoga lingua Samscritana sensu genuino significat.

c) Status hujusmodi Ascetae (Yoghi) describitur:
Wie Lampe, frei vom Windwehen, nicht sich reget, deß Gleichniß ist
Der Vertiefte, der tiefsinnig, vertieft in Selbstvertiefung sich.
Da, wo, gehemmt, des Geists Denken durch der Vertiefung Uebung ruht,
Wo allein durch sich selbst sein Selbst schauend in sich, der Mensch sich freut,
Endlose Wonne, fühlbare dem Geist nur, übersinnliche
Kennet, und stätig ausdauernd, niemals von ew'ger Wahrheit wankt,
Wo, dieß erreichend, nicht Andres er achtet diesem vorzuziehen,
Und wo Unglück nicht, auch schweres, erschüttert mehr den Stehenden,
Diese, des Schmerzgefühls Lösung, wisse, Vertiefung wird genannt.
In Vertiefung der Mensch muß so vertiefen, sinnentfremdet, sich,
Tilgend jeder Begier Streben, von Eigenwillens Sucht erzeugt,
Der Sinne Inbegriff bänd'gend mit dem Gemüthe ganz und gar.
So strebend, nach und nach ruh' er, im Geist gewinnend Stätigkeit,
Auf sich selbst das Gemüth heftend, und irgend etwas denkend nicht;
Wohin, wohin herumirret das unstät leicht bewegliche,
Von da, von da zurück führ' es in des innern Selbsts Gewalt.

Tali enim philosophiae generi, quod omnes animi, sensuum et corporis, vel maxime necessarios, motus, imo etiam cogitationes, — impedimenta vinculaque inquinantia esse ducit: vaga tristisque videbitir vita haec; et *requies* solum ejus desiderium solatiumque erit tali ascetae se ipsum consumenti et in Deo enasci studenti.

Haec de Indorum ascesi.

Sed recurro ad interruptae tractationis filum.

Sub fine enim libri nostri partis primae ἄσκησιν studium esse atque disciplinam facultatis habilitatisque in bonis rebus atque honestis, tum corporis cum animi, assequendae, comperimus. Et eodem loco statuimus, ubi sit vis atque impetus, ibi etiam obstaculum atque resistens aliquid coarguendum esse, quod malum vocavimus.

Mali vero essentiam a Veteribus substantialem et pro se consistentem opinatam esse indicavimus in parte secunda, in parte tertia substantiam mali originalis — materiam esse, in parte vero quarta naturam elementumque mali — sumus percontati.

Et hoc igitur restringentum malum est res ἀσκήσεως.

Sed obliviscendum non est, quae supra diximus, quod malo oppugnando et reprimendo ipso bonum atque honestum jam factum sit atque peractum.

Tria praecipue constituenda sunt ἀσκήσεως veteribus usitatae genera, quorum primum, Aegyptium naturale et diaeteticum; secundum, Asiatico - Persicum, theosophicum et religiosum; tertium vero Graecum, aestheticum nominare velim.

Sed praecavendum est, ne perperam intelligatur haec descriptio, quae non tam ad rem ipsam, quam potius ad formam rei tractandae spectat.

Non igitur intelligo haec tria genera *in re* inter se esse diversa, quam in forma; elementa enim eorum sibi non oppugnant, non sunt sibi aliena, sed idem elementum quod in hoc genere ἀσκήσεως praevalere, in illo postponi modo videtur. Omnia enim quatuor generum communia sunt elementa, sed modo singularia eorum caeteris praeponderantia atque praedominantia huic descriptioni ansum praebent.

Asiatico - Persica ἄσκησις, quae gravitate sua ubertateque primum summo jure tenet locum. Hic praeprimis eminet *Pythagoras* atque Judaica Essenorum secta. Qua de caussa

---

Den Vertiefeten, Stillsinn'gen der Wonnen höchste dann besucht,
Dem Irdischheit die Ruh nicht stört, den reinen, gottgewordenen.
Bhag. VI. 19 — 27.

Pythagoraeorum sectam ab elementis Asiaticis ducere originem suspicari videar, inferius tantum erit suo loco dicere, postquam enim tum hujus sectae cum etiam aliarum Asiaticarum proprietates naturamque tractaverim. Sed ea de caussa Pythagorae disciplinam in fronte constituam, quia culmen atque summa est totius antiquitatis systematum ἀσκησιν observantium, ne dicam, quia tam barbarorum quam Graecorum symbola mythique in hac secta conveniant, atque in unum reconcilientur systemata.

Pythagoricam igitur ἀσκησιν omnia tria, Parsismi idealisticum, et Aegyptiorum naturale et Graecorum aestheticum, principia constituere comperimus.

Et hic etiam Plutarchi verba de Aegyptiorum cultu erunt in suo loco. Nec enim, dicit, sine ratione (*a*) neque *mystice* tantum (*b*) neque tandem metu solo Deorum, haec abstinentiae consuetudo ab esu potuque piscium, carnium, aquae marinae etc. ad cultum referebatur sacrorum (*c*); sed partim morum vitaeque caussa, partim ex caussis aliis, quibus non exiguum inest acumen cognitioque rerum physicarum (*d*).

Si igitur ex his Plutarchi dictis complures abstinentiae caussas esse apparet, quo majore jure idem concludi potest de philosophia Pythagorica, complectit enim mysteria gentium veterum fere omnia, excedens omnia quae nationis proprietates adpellare solemus (*e*).

Re vera enim in Pythagoraeorum ἀσκησει triplicem animadvertimus scopum seu finem, quorum primum cum genio Idealismi Orientalis, alterum cum Aegyptico materialismo naturali, tertium vero cum Graecorum idea honesti atque decori, habet communem.

Sed rem exquisitius perlustramus.

A. Finis ἀσκησεως Pythagoricae theosophicus, qui ad Persarum cultum spectat.

α. prima rudimenta de animae immortalitate quae comprehensa sunt in theoria de migratione animae.

β. ex qua oritur opinio de emendenda lustrandaque anima.

γ. pietas atque justitia contra animalia caetera.

---

a) ἀλογον, quod etiam „temere" significat.

b) μυθωδες.

c) ἐγκατεστοιχουντο ἱερουργιαις.

d) οὐκ ἀμοιρα κομψοτητος ἠ φοσικης. κ. τ. λ. Plut. d. Is. et Os. cp. 8.

e) Nationalität.

Ἐις μονον των ζωων οὐκ ἐσεχεται ἀνθρωπου ψυχη, οἷς θεμις ἐστι τυθηναι. δια τουτο των θυσιμων χρη ἐσθιειν μονον, οἷς ἂν τα ἐσθιειν καθηκη, ἀλλου δε μηδενος ζωου (*a*).

E quibus satis liquet, Pythagoram de animalium nonnullorum carne vetuisse edere, ea quidem de caussa quia animalia esse censebat in quae anima humana transmigrare soleret: quam opinionem habet communem cum Persarum magis, de quibus Porph. narrat. (*b*): *και γαρ δογμα παντων ἐστιν, την μετεμψυχωσιν εἰναι.* qua de caussa neque immolent animalia, neque mactent, et a carnium esu semper abstineant. Secunda igitur caussa abstinentiae ab esu carnium est, quod justitiam etiam ad animalia extendendam esse censebant (*c*).

Sed temporibus longius remotis hunc morem nondum esse observatum: *δι' εὐσεβειαν*, sed *δια (δε) το μηπω ειδεναι την πυρος χρησιν*, et postea, quia ignem sanctiorem esse aestimassent homines, quam ut eo uterentur. Id quoque olet persicam consuetudinem.

Animalia enim, dicit Porphyrius, etiam habere animam, non esse *ἀλογα*; linguam habere, sensibus esse pradita, et acutioribus quidem quam nos, moerore, dolore, gaudio atque laetitia posse affici. Animantia igitur summo jure a nobis *δικαιοσυνην*, justitiam postulare, atque innocentiae (*d*) officium nobis esse contra ea.

In libro secundo suo pergit Porph.: Si vero contra animalia se defendere atque tueri licitum esse concedebam, non tantum dixi, licere etiam comedere ea. Hostem quem a nostris finibus arcemus nihilominus consumere vetitum est. Non minus igitur nefas esse carnem consumere animalium, quae, sive caussa nobis nota, sive non, diis immolare solemus.

Olim neque immolata esse animalia, neque carnes eorum comesas; immo apud Aegyptios majoris criminis argumentum esse, qui manducaverit de sacri tauri, quam qui humana carne.

Sed et Jamblichum audiamus de hac re.

Pythagoras discipulis suis praeter caetera praecepta etiam hoc dabat: *φειδω των ἀλλων ζωων* (*e*).

---

a) Jambl. vit. Pyth. l. 1. c. 18.

b) Porph. de abstin. lib. IV. S. 16 ed. Rhoer.

c) *το δικαιον μη προς το λογικον μονον, ἀλλα και προς το ἀλογον τεινειν.* Porph. l. sup. laud.

d) *ἀβλαβεια.* Porph. d. abst. lib. III.

e) Jambl. v. Pyth. I.

Animalia homini non noxia necare vetuit Pythagoras, ea de caussa etiam venatio prohibita erat (*a*).

Caeteris vero discipulis minus initiatis carnem nonnullorum edere concessit animalium; excepto corde cerebroque (*b*).

Eodem modo repudiabant Pythagoraei pellem ferre vestis loco (*c*).

B. Ut enim apud Aegyptios, ut supra demonstravimus, sanitas, valetudo, aequabilitas, frugilitas ubertasque, quae sunt tam in homine quam in natura conspicua, symbola sunt boni, et imagines numinis divini, Isidis atque Osiridis: ita etiam ἀσκησεως Pythagoricae finis est integra atque vigens illa corporis et animi valetudo et alacritas.

Illam κομψοτητα φυσικην Aegyptiorum in memoriam revocamus, nec non, quae in parte tractatus nostri secunda hac de re diximus (*d*).

Ad haec pertinet abstinentia ab esu carnium, vini atque rerum sanitati noxiarum. In libro supra laud. Porphyrii de abst. I. c. 46: „qui igitur, dicit Porph. quantum possit rationi vivere convenienter studeat, caveatque ne corporis turbationibus distrahatur (*e*): is demonstret nobis cibi e carne parati majorem nobis esse frequentiam facultatemque, quam e rebus agrestibus; demonstret nobis illum cibum e carne paratum faciliorem esse ad concoquendum, minus molestum atque gravantem, qui sanguinis minus irritet cursum, quam cibi, qui e rebus non animatis sint et quibus coquendi ars non est necessaria.“

„Hoc vero neque medicus, nepue philosophus, neque gymnastes, neque idiota unquam aussus est dicere. Quare igitur hoc jugum cervicibus excutere dubitamus? Quam ob rem tam tardi sumus in liberando nos ab hoc malo, turbam malorum secum ferente, quibus servimus, et quorum jam unum, et minimum, nos occupare atque vexare satis potest? Intelligit enim Porph. opes superfluas, multitudinem servorum utensiliumque,

---

a) Jambl. v. P. c. 21 et alii loci, ut: μητε ἐμψυχον μηδεν, μητε ἐσθιειν ἐισηγουμενος, etc. μητε θυειν ζωα τοις θεοις, μητε κιταβλαπτειν ete. διασωζειν δε και την προς ἀυτα δικαιοσυνην ἐπιμελεστατα. deinde: βουλομενους ἀκρους δικαιοπραγεν, ἐδει του μηδεν ἀδικειν των συγγενων ζωων.

b) Quibus etiam diis immobare licuit, sed bove excepto cp. 28.

c) Jambl. cp. 28.

d) Sub nota *a* pg. 9.

e) ἀπερισπαστος ἐκ των κατα το σωμα παθων ἐιναι.

somnolentiam, morborum acerbitatem, medicorum remedia, voluptatis carnisque libidinem, aestus anguentes, excrementorum frequentiam ect.

„Qua malorum ab Iliade, pergit Porph. liberat nos frugalis victus atque tenuis, qui facile potest parari ab unicuique; aequam servans mentem nostram atque tranquillam. Non enim, inquit Diogenes, e panem et fructus comedentibus (ἐκ μαζοφαγων) bellatores atque fures extitisse, sed ex edentibus carnem (ἐκ κρεωφαγων) calumniatores, pugiles, latronesque. His igitur rebus supervacuis atque alimentis praeter necessitatem amotis, et corporis in concoquendo disgerendoque labore minuto, oculus animusque mortalium, squalore vaporeque sito in corporis habitu superato, libere et vinculis solutis elevatur et superna petit." Haec Porphyrius.

Sed haec jam spectant ad normam vivendi philosophicam, quae tam strictis limitibus non est describenda, ut nihil cum corporis soli habitu atque victu habeat commune.

His de caussis igitur Pythagoraeorum victus hic erat(*a*): mel seu placenta mellita, puls et panis miliaceus (κεγχρον), olera, seu cocta, seu non, rarius vero caro victimarum, et id exceptis partibus eorum certis, — erant alimenta eorum quotidiana (*b*).

Praeterea invenimus in Jambl. v. P. lib. I. c. 3 praecepta nonnulla Thaletis Milesii quae dedit Pythagorae, discipulo suo, in quibus praeprimis temporis parcimoniam commendat, et ut id accuratius observari possit, τῃ οἰνοποσιᾳ τε και κρεοφαγιᾳ et prae caeteris τῃ πολυφαγιᾳ abstinere, tenuemque victum et ad concoquendum aptum, vigilantiam (ὀλιγουπνιαν) et animi alacritatem, (ἐπαγρυπνιαν) servare hortatur.

Vini potum, nisi omnino, parce tamen certe permittebat Pythagoras; ipse vero omnino abstinebat, quod etiam Platonem probare vidimus in libro suo de legibus. II.

Appendix: de abstinentia ab esu fabarum.

In suo loco hic erit memorare prae caeteris usus illius veteris a *fabis abstinendi*, quem ab Aegyptiis invenimus esse petitum, cujusque etiam caussa erat illa κομψοτης φυσικη, antiquioris aevi hominum, sed jam veteribus ipsis omnino fere occulta.

---

a) Porph. v. Pyth.

b) cf. et. Jambl. vit. Pyth. I. 21 rarius animalibus etiam marinis vescebantur, εἰναι γαρ τινα αὐτων δι' αἰτιας τινας οὐ χρησιμα προς το χρησθαι. ut paucis dicam, ab iis cibis esse abstinendum qui sint πνευματωδη και ταραχης αἰτια, i. e. qui corpus inflent, et alvi profusionem (Durchfall) efficiant.

De caussa enim vera abstinentiae ab esu fabarum auctores veteres ipsi haesitant et discrepant inter se.

Porphyrius enim in vita Pythagorae, qui humani carnis consumtionem non gravius interdictam esse testatur, quam fabae, narrat: ὁτι της πρωτης ἀρχης και γενεσεως ταραττομενης, και πολλων ἁμα συνηγμενων και συσπειρομενων, και συσσηπομενων ἐν τῃ γῃ, κατ᾽ ὀλιγον γενεσις και διακρισις συνεστη.

Et Cicero de senectute: quae res (scil. faba) habet *inflationem magnam. Hunc cibum tranquillitati mentis constat* esse *contrarium.*

Jamblichus, Porphyrii discipulus, in lib. sup. laud. I. και κυαμων ἀπεχου δια πολλας ἱερας και φυσικας, και εἰς την ψυχην ἀνηκουσας αἰτιας; sed ipsas has αἰτιας πολλας, nescire videtur Jambl. qui eodem libro paullo inferius narrat de Myllio quodam e secta Pythagoraeorum, qui cum Dionysius Tyrannus ab eo gravibus sub minis quaesivisset, qua de caussa socii ejus morti potius succumbere vellent, quam pede proterere fabam: ego quoque ad mortem paratus sum potius, dixit, quam dicere. Et mulieri gravidae ne tormentis quidem potuisse vera hujus rei caussa extorqui. Idem Jamblichus dicit in lib. II. hoc fabarum interdictum significare, ut caveamus ab omnibus quae a familiaritate cum diis atque a divinatione rerum coelestium nos abalienent.

Sed in libro pseudo-origeniano „philosophumena" — inscripto, explicatur haec res clarius exquisitiusque.

Hujus enim interdicti auctorem esse Chaldaeum Zaratam (*a*).

Initio rerum, dicit Origenes, cumque terra crearetur, fabam exstitisse; hujus veritatis id esse testimonium: si quis manderet enim fabam eamque paullulum exponeret solis calori, *humani seminis odorem olere*; atque alio argumento rem clariorem fieri dicit: si fabam cum flore sua carptam imponeris ollae, et humo obrueris per aliquot dies: tunc „ἰδοιμεν αὐτο εἰδος ἐχον το μεν πρωτον (sc. κυαμον) ὡς αἰσχυνην γυναικος, μετα δε ταυτα κατανοουμενον παιδιου κεφαλην συμπεφυκυῖαν."

Sed Persicum hoc mysterium esse dicit Origenes, Pythagoram enim Zaratae discipulum esse. Alii vero hunc Zaratam Ezechielem fuisse dicunt prophetam (*b*).

---

a) Zoroaster?

b) cf. Schaefferi de philos. ital. p. 14 et 18. — Huetii dem. evang. propos. IV. p. 458. Clem. Alex. Stromm. lib. I. p. 304. cf. Herodoti Euterpe. 57 et Plut. d. Js. et Os. c. 5. cf. Jambl. v. Pyth. lib. II.

Sed si Herodotus fidem habet, Aegyptiis quoque veteribus fabae erant interdictae. Eodem modo etiam malvae erant Pythagoraeis prohibitae.

C. Ad tertium pervenimus ἀσκησεως Pythagoricae finem genusque, quod Graeca elementa complecti diximus(*a*), cujus summa est: *liberare mentem a vinculis corporis inclusam*; quae sententia quidem ab omnibus antiquitatis philosophis idiotisque erat non minus probata, sed Hellenismo praeprimis, quoad propria sibi quadam ratione eam intelligat atque obsequatur; ad excolenda scil. atque ornanda viribus et pulchritudine haec ψυχης vincula, id est, corpora (*b*).

Corpus enim viri tenue et imbecille, formosum tamen, cogitari non potest; tale igitur corpus parasitus atque adulator, qui impensis viribusque της ψυχης vivit, qui segnitia atque imbecillitate onerat, altaque petere impedit. Sed firmiora corpora atque validiora animi cura indulgentiaque indigent minime.

Hoc modo mens a vinculis liberabatur coporis, ut hoc excoleretur exercitiis athleticis victuque tenui et salubri, quod etiam Pythagoras probasse testis est Jambl. vit. Pyth. l. I. cp. 21. Sed latiori sensu intelligenda est sententia Pythagoraeorum de liberanda mente a vinculis etc. et hoc modo sensu vitae philosophicae est disciplina; mentem scil. non solum a corporis, sed etiam a sensuum rerumque externarum vinculis atque impedimentis, quae eam a rebus vere divinis distrahere soleant, servandam esse. Primum locum hic obtinet symbolorum Pythagoricorum XXXII^um^ quae nobis enumerat Jamblichus in lib. s. sup. laud. II° (*c*).

Hoc fine apud Pythagoraeorum sectam solitudo magnopere probabatur, ut fugiant vitae perturbationes (*d*).

Silentium etiam commendabatur ad vitam vere philosophicam gerendam, quod ἐχεμυθια nominabatur, id quod potius significat facultatem linguae temperandi, quam omnino renuntiandi more (*e*).

---

a) et quam philosophicam ἀσκησιν adpellare volumus.

b) Id quoque unicuique erit facile animadversum, graecae sculpturae imaginem atque summum finem esse corpora heroum non solum pulchra atque formosa, sed etiam robusta agiliaque, et temporibus modo subsequentibus feminina corpora mollia atque splendida.

c) ἀποκαρματων σων, και ἀπονυχισματων καταπτυε: quod Jambl. hoc propremodo interpretatur: contemne ac conspue illa quae sine mentis lumine videntur nude per ea, quae nobiscum nata sunt, sensualia, quae nequaquam paria sunt ut assequantur mentis aeternitatem.

d) cf. Porph. de abst. l. I. §. 36 et Platonis Theaetetum.

e) Non Carthusianorum Verschwiegenheit sed potius Schweigsamkeit.

Huc accedit etiam quae dicit Jamblichus de victu fugiendo arti vaticinandi obnoxio (εἰς μαντικην ἐνεποδιζεν) aut mentis puritati aut temperantiae frugalitatique adverso. Cibos enim intelligere in comperto est, qui irritent nervos, phantasiam inflamment, somniaque turbulenta atque anxia faciant.

Sed prius quam Pythagoraeorum ἀσκησιν atque cultum conferamus cum aliis, Judaeorum Persarumque nec non Aegyptiorum ascesin pertractare volumus.

A. PERSARUM ASCESIS.

Persarum Magi preces fundebant continuas, quibus magica quaedam vis atque effectus attribuebatur, quibus interruptis mundus erat illapsus.

Itaque in continuo se excipiebant Magi in templo orantes, ne verbum in coelis prolocutum et in terra repetitum evanesceret.

Hae igitur preces continuae in Persarum cultum summum ἀσκησεως officium existimabantur.

Porphyrius tres praeprimis constituit Magorum ordines; primique ordinis sapientissimi sunt, qui neque animantium aliquid consumunt, neque mactant, sed perseverant in usu veteri, ab animalium carnibus abstinentes. Secundae classis Magi edunt quidem carnem, nisi animalium domesticarum; et hunc quidem (dicit Porph.) morem observant, quia credant metempsychosin (*a*).

Sed hic suo loco erit inquirere quam vim habeat Dualismus ad ethicam.

Si Indicam vetustissimam Brahmae religionem cenferimus cum Parsismo, invenerimus illic fatum internum, subjectivum, hic fatum externum, seu objectivum; illic est mali fons et origo in homine ipso posita, per seriem incarnationum et migrationum longam του Atma crescens. Mali igitur massa copiaque semper augitur quo saepius e corpore transmigrat in alium animus, inde animi tristitia et vita spe salutis destituta, de quibus supra diximus.

Oromazes et Arhimanius sibi sunt oppositi, uterque positus est: ille vis bona est, hic vis et potentia mali: uterque enim studet, ut alterum debilitet, tollat devoretque; victo igitur hoc, illius vis praevalet et augitur; haec lex est necessitatis, seu fati illius objectivi a Zeruane Akerene prolata: Arhimanii scilicet potentiam, sive mali vim ab Oromaze, sive boni massa, devorandam fore. In hac lege vis est atque momentum, quo mortalium animus ad agendum, pugnandum atque vincendum stimulat et firmat,

---

a) cf. Herodoti lib. I. cp. 132.

inde hilaris illa vita atque fortis; Persa enim foedere cum Oromaze icto fortitudine sua in agendo palmae gloriaeque ab Arhimanio consecutae socius est. Et quis negare potest, quod in omnibus nobis pugnae et certaminis species boni contra malum quam plurimum valeat?

B. HEBRÆORUM ASCESIS.

Apud Hebraeorum symbola *puri* atque *impuri* notio praevalet et medium inter Aegyptia et Persica tenent locum.

Lustratio atque *purificatio* igitur prima atque praecipua erat ἀσκήσεως functio. Multum vexavit doctos theologos haec materia, multarumque controversiarum erat caussa, quarum notione dignissima esse illa Spenceri cum Majo habita nobis videtur.

Joh. Spencerus, theologus Cantabrigensis, in dissertatione sua de lustrationibus et purificationibus Hebraeorum demonstrare conatur, hunc Hebraeorum morem ab Ethnicis, Aegyptiis praesertim, esse petitum. Hanc Spenceri opinionem castigat atque confutat doctissimus vir Joh. Hen. Majus, litterarum orientalium peritus Theologus Durlaco-Badensis, in dissertatione sua de lustrationibus Hebraeorum contra Spencerum, et in libro suo de purificatione mirabili singulari et singulariter mirabili.

In illo libro Majus Spenceri opinionem, sive, ut dicit, fictiones, refutat, in hoc vero exponit, has lustrationes Hebraeis genuinas atque proprias esse (*a*).

Sed semper usus loquendi dux est certissimus in hujusmodi quaestionibus. Per imagines enim linguae tertia quoque comparationis, i. e. rei notionem veram, comperimus.

Praeprimis igitur investigandum est, quibus imaginibus atque vocibus (nam vox quaeque est alicujus rei imago) usi sint Hebraei in exprimenda integritatis, justiciae, innocentiae et culpae criminisque notione.

Jes. I. 16 — 18 igitur peccatoris impuritati vis purificans quaedam est opposita: illa enim per תולע, vermis, sec. Plinii hist. nat. *coccus* (*b*), et שנים, color coccineus (*c*), interpretatur. Radix enim est שנה, mutari, commutare colorem, nitere, splendere, ut Luccas evang. 23, 11 λαμπρος, splendida vestis. David Kimchi dicit igitur ad locum supra laud:

---

a) Utriusque viri libri sunt in Ugolini Thes. antiq. sacrar. T. XXII.

b) Kermes-Wurm.

c) Carmoisin.

„comparat peccatum rubro, qui color fortis et conspicuus est e longinquo, et si in „veste macula quaedam hujus coloris fuerit, lotione non auferri potest.“

Et si dicit Jeremias XI. 22 si laveris te nitro, et multificaberis tibi smegma, maculosa adhuc erit iniquitas coram me, sed poenitentia est candefactio maculae.

Coccus igitur mali imago est atque peccati.

a. ratione *originis;* (ut Maji verbis utar) ut hic color e sanguine vermis conficitur, sic etiam ex hominum sanguine vitioso oriuntur peccata, quae Hebr. דמים, sanguines adpellantur.

b. *apparitionis* et *evidentiae* caussa. Coccus enim est color splendidus atque vigens, λαμπρος, qui incidit oculos eosque facile offendit: ita etiam peccata Dei oculos offendunt atque feriunt.

c. ob penetrandi vim: Coccus lotione non potest auferri etc.

Sed etiam apud Aegyptios, teste Plutarcho, *rubro colore Typhonem*, *Horum* vero *album* esse fictum. cf. d. Is. et Os. cp. 22.

Sed justitiae (sensu biblico) innocentiaeque imago color est albus שלג, nives, et לבן albus, a lateribus qui in Palaestina cocti erant ex argilla alba.

Album vero est imago genuina munditiae, puritatis, integritatis atque innocentiae, ut etiam in latino sermone saepius dicitur, candida virtus, innocentia, fides etc.

Sed ad rem! In lustratione igitur sita est maxima pars ἀσκησεως Iudaeorum: Spencerum vero sequi volumus, qui lustrationem sensu laxiori describit

a. in purificationes *personarum*

b. in « « « *reurm* et

illas in *ordinarias* et *extraordinarias*.

Καθαρμοι ordinarii erant lotiones quotidianae purificationesque, ut demoveretur sordes; puriff. *extraordinariae* erant qui non sola ablotione, victimis tamen, jejuniis aliisque cerimoniis diebusque solemnibus fiebant.

Purificationes *ordinariae* vario modo tractandae sunt.

a. quae *materia* sit *purificans*.

1. aqua pura, seu fontana, s. fluvialis (*a*).

---

a) Livit XV. 13; Jos. ctr. Ap. fol. 1357. ejusd. Antiq. III. c. 11. fol. 125. Buxtorffii dissert. de rit. lot. man. Heb. Pocock. misc. not. c. 8 pg. 357 et 58, 59. Porph. de abst. l. IV. §. 12.

2. lustrationes *aquae marinae* (*a*).

3. aqua *separationis* sive *expiationis* (*b*).

Sed in Aegyptiorum cultu animadvertimus morem huic simillimum; Aegyptios enim, narrat nobis Plutarchus lib. s. laud. Typhoni immolare taurum rufum, quod nos primo aspectu monet ad Hebraeorum vaccam rufam: IV. Mos. XIX. 1 et 2 cujus cineres aquae separationis inmiscebantur (*c*).

b. *Sed etiam fortunaliter spectandae* sunt *purificationes* veterum.

Gentes antiquiores curam puritatis externae singularem habuere, non munditae, sed ἁγνειας gratia (*d*).

Nonnulli antiquioris et hodierni temporis doctores aquarum magno illo diluvio, cujus omnes fere orbis terrarum gentes memorant, attribuunt vim functionemque *purificantem* aliique certe id diluvium pro hujus rei symbolo habent (*e*).

Origenis contra Celfum lib. IV. ed de la Rue f. 173: *οὐκ οἶδα δ᾽ ὅπως παραπλησιως τῳ κατακλυσμῳ καθηραντι την γην, ὡς ὁ Ἰουδαιων και Χριστιανων βουλεται λογος.* et eodem libro: *ἡ δ᾽ ἐν τῳ κατακλυσμῳ διαφθορα των ἀνθρωπων καθαρσιον ἐστι της γης* (*f*). — *ὅταν δ᾽ οἱ Θεοι την γην ὕδασιν καθαιροντες, κατακλυζωσιν.*

Plato vero duas opiniones hebebat de diluvio, quorum in una (*g*) diluvium est

---

Sed etiam apud gentes hunc morem esse obsecutum cf. Virg. Aen. IV. 635. Ovid. fast. IV. 777. Hesiod. op. et ed. 326.

a) Aristeas. 890 D. Philo de sacrif. fol. 848. Epiphan. adv. Haer. (de Ebione) lib. I. T. 2 haer. 30. Hunc etiam usum aquae marinae Hebraei cum ethnicis habent communem. cf. *Aristoph.* Plut. Act. III. Sc. 2. v. 656. *Apollonii* Argon. IV. V. 663. *Apulejus.* lib. XI. pg. 356. *Taciti* annal. lib. XV. Aquae marinae inest vis purificans, ut dicit etiam Proclus de Sacrif. et Mag. sub fin. quod salis sit expers. cf. Theocrit. Id. XXIV. v. 94. Hom. Il. I. 313. Ovid. metam. VII. 262.

b) Num. XIX. 9. Hebr. IX. 13. Arnob. lib. contr. gentes 237: Lavatio Deum matris est hodie: sordescunt enim divi, et ad sordes eluendas lavantibus aquis opus est, atque adjuncta *cineris fricatione.* ex quo sequitur hunc usum etiam gentibus esse cognitum. cf. Ovid. Fastor. IV. 733 et 639 et 725. Virg. eclog. VIII. 101.

c) cf. Deylingii dissert. de cin. vaccae rafae.

d) Gen. *XXXV.* 2. *XL.* 1. Wendelin. de admir. Nil. c. 24. Euseb. praep. evang. IX. 28. Clem. Alex. Strom. I. f. 412.

e) Philo Jud. lib. quod. det. pot. ins. sol. fol. 186.

f) Platonis verba: de leg. l. III. 676. ed. Fic.

g) quam inv. lib. III. de leg. 585.

discrimen inter beatiora illa tempora, (antediluviana) et haec posteriora inopioraque (postdiluviana).

Altera vero Platonis sententia (*a*) huic diversa atque opposita, diluvium inducit qua lustrale, et re vera ad iniquitatem generis humani terram flagitiis inquinantem deluendam inmissum; et hac de caussa veteres adtribuere aquis vim purificantem non solam externam sed etiam internam, quam sententiam Hugo Grotius probat.

c. *Lustrationes finaliter* spectatae.

Nihilominus plane distinguendum est inter lustrationes ad *munditiem* et ad *cultum*.

Mortui, menstruantes, reptilis tactu polluti, somnium inmundum passi, sanguinis profluvio laborantes erant lege externae munditiei adstricti (*b*) quod etiam erat apud Aegyptios in usu (*c*). Lustrationes ad cultum: ante quam orarent, imolarent atque ingrederentur in templum (*d*).

De purificationibus extraordinariis sive privatis sive publicis.

Ablusione, aspersione, sacrificio, *abstinentia*. Abstinentia a Venere etiam licita (*e*); a vino (*f*).

---

a) eod. l. laud. f. 676.

b) Zach. *XIII*. 1. Levit. *XI*. 63.

c) Gens. *XLIII*. 32.

d) cf. Cant. *XII*. 7. Clem. Alex. Strom. IV. f. 628. Tim. II. 8. Philo περι φιλανθρ. f. 698. Hesiod. op. et d. 335. Apulejus de aur. asin. l. II. sub. fin. Hom. Il. 266. Plut. vit. Marii. Ovid. Fast. V. 679. Virg. Aen. *IX*. 22.

e) I. Sam. *XXI*. 4.

f) Levit. *X*. 9. Ezech. *XLIV*. 21. Euseb. Praep. evang. lib. *IX*. f. 408. Joseph. Antiq. l. III. c. 12. Philo Jud. lib. II. de monarchia f. 825. aqud ethnicos: Arrian. in Epict. l. III. c. 21. Suidas ad voc. Θεος Ἀρης. Fortunat Schacc. Myrotheca. P. II. c. 77. Wormii monum. Danica l. I. c. 3. pg. 7. Pocock not. in hist. Arab. spec. pg. 101.

Porphyrius de abstinentia l. IV. §. 7. Apul. d. aur. asin. lib. *XI*. p. 387. ubi voce utitur: „*invinius*.“ Sed tam mirus quam doctus Spencerus totus esse videtur defixus in eo, ut genio Hebraicae gentis alienum hunc esse usum, et aliunde (praesertim ab Agyptiis) adscitum, demonstret. Et hanc opinionis suae caussam profert: noluisse enim summum legislatorem receptam purgationum disciplinam prorsus abolere, ne forsan Israëlitae rerum differentias omnes e medio sublatas existimarent, et, cum nihil haberent quod sensus externos occuparet (exerceret) in religionis omnis contemtum et merum atheismum sensim laberentur. Sed talis summi legislatoris (si unquam Deum intelligit Spencerus) sapientiam humanam nimis olet, quam prudentiam nos nuncupamus; seu Diplomatische Klugheit.

Sed reliquum est ut nonnulla disseramus de abstinentia Judaeorum; de qua etiam Josephus est audiendus, qui in libro III. antiq. cp. 10. omnia quae Judaeis erant lege prohibita sub puritatis atque impuritatis signo comprehendit et enumerat.

1. Sanguinis certe, dicit, ideo vetuit Moses usum, quod hunc animam et spiritum putaret esse; idem neque animalis non occisi carnem ad cibum concessit (*a*).

2. Animalium impurorum vetuit etiam Moses carnibus vesci, ut ex. gr. carne suili, sus enim impurum animal, quod dividit quidem ungulam, non ruminat tamen: sicut camelus propter caussam contrariam, ruminans sed non bifidus ungula; sic etiam lepus. Caeterum quaecunque animalia utrumque hoc habent, pura pronuntiantur merito, quando utramque jam dictam absurditatem efugerunt (*b*); et quaecunque multos pedes habent inter omnia reptilia terrae nolite comedere quia sunt abominanda, quia tota humi jacent, et ne nimium quidem attolunt ab ea (*c*).

3. Et reticuli et adipis caprini, ovilli et bubuli abstinentiam indixit (*d*).

4. Ejecit etiam e coetu et consuetudine hominum leprosos, seminis profluvio laborantes; mulieres etiam quae naturaliter purgantur versari inter homines vetuit Moses.

5. De abstinentia a venere licita dicit Jos. in eod. lib. sup. laud:

Socerdotes autem duplo castiores esse voluit; hoc enim non solum praedictis legibus, sicut reliquos teneri jussit, sed etiam non quamvis foeminam ad conjugalem thorum admittere, non quae corpore questum fecisset, non servam, aut captivam, neque cauponariam, neque stabulariam, neque a priori marito quacunque de caussa repudiatam.

Pontifici (scil. maximo) ne viduam quidem permisit, quod tamen caeteris sacerdotibus liberum reliquit: sed solam *virginem* ducere concessit, eamque servare (*e*).

---

a) Piscium vero sanguinem edere non cohibuit. cf. III. Mos. VII. 26. Michaelis Mos. Recht. IV. §. 187.

b) cf. Philo de agric. fol. 208.

c) cf. Philo de migrat. Abrh. fol. 397.

d) II. Mos. XXII. 30. V. Mos. XIV. 21. Koran. Sur. V. 4. II. 175. XVI. 115. Joh. D. Michaelis Mos. Recht 4 Bd. §. 205.

e) Servare (φιλαττειν) virginem non est servare virginitatem ejus; non enim Moses prohibuit sacerdotis concubitum cum virgine; sed servare est intelligendum, ut non relinquere, non repudiare virginem. virginitatem enim apud Judaeos neque observatam neque probatam esse, vir doctissimus Michaelis argumentis demonstrat. cf. ejus Mos. Recht III. Bd. §. 145. 1. quia scripta sacra nullam

Sed etiam Essenorum et *Therapeutarum* perlustrandae sunt sectae. (*a*).

In fragmento supra laudato Philonis περι Ἰουδαιων, cujus etiam Hieronymus et Suidas mentionem faciunt, et fortasse in Flav. Josephi Antiq. l. XVIII. c. 10. de Essenis tactatur, qui παρα την ὁσιοτητα sic nuncupentur (*b*). Palaestinae frequentes (4000) pagos eos habitare dicit Philo, urbes evitasse; virtuti atque charitati totos esse deditos, bona habere omnia communia, victimas non immolare, nuptias fastidire; quo majoris ducerent virtutem continentiae, eo minoris conjugium: Nullum igitur eorum nubere quia foemina sit φιλαυτος, atque Zelotypia non parva affecta: viri mores depravare et efoeminare continuis blanditiis (συνεχεσι γοητειαις); aliasque muliebris sexus vitia enarrat Philo, quae omnia sint κοινωνιας ἐχθρα. Qui enim sit a mulieris blanditiis atque ludibrio captus, aut cura pro liberis occupatus, amicis non amplius esse posse eundem quam antea: e libero factum esse sensim sensimque servum (*c*).

Caussa vero conjugii contemti magnum atque eximium illum libertatis studium est, quod haec secta suscitat, teste Philone in lib. quod lib. sit omn. prob.

Sed diffidere licet Philoni in his quae de Essenis dicit, praesertim in lib. quod omnis lib. sit probus: Quia semper in animo ejus esse videntur Therapeutae, et his tribuit quae illorum, illisque quae horum sunt. Sed ut paucis absolvam: Philo quidem tam

---

faciant mentionem virginitatis servandae. 2. Vulgi opinione ipsa virginitatem nimis longe servatam non minus quam sterilitas ipsa duceri dedecori. 3. quia sexus foeminarum ad liberos procreandos destinatus habebatur. 4. Summam salutem positam esse apud gentem Irraëliticam in liberis multis, matrimonium sine prole a Deo maledictum esse.

a) Fontes: *Flavii Josephi* antiquitates. — et de bello Jud. *Philonis Judaei* fragmentum quod nobis tradidit Eusebius in praep. s. evang. lib. VIII. cp. II. ejusdem Philonis: quod liber sit omnis probus. ejusdem Philonis de vita contemplativa. Blasii Ugolini tribaeresium Judaeorum in ejusdem antiq. sacrar. Thes. Tomo *XXII*.

b) cf. etiam Philonis q. lib. omn. sit. prb.

c) Sed distinguendae sunt hujus sectae duo classes, quarum una magis mysteriis initiata, vitaeque dedita austeritati majori, sine ulla foemina omneque Venere abdicata (ut Plinius hist. nat. V. 17. dicit) altera vero normae vivendi laxiori dedita, virgines ducebat propagationis generis humani caussa. cf. Jos. bell. Jud. II. fol. 788. — Hujusmodi mulieris conjugiique invectiones apud Hieronymum contra Jovin. lib. II. invenimus; et Josephus de iisdem Essenis dicit loco supra citato: non quia conjugium vel humani generis successionem censeant perimendam, sed quia cavendum putant ab intemperantia foeminarum, nullam earum uni viro fidem servare credentes.

Essenorum quam Therapeutarum mores dijudicat ex suae ipsius philosophiae de his rebus sententiis, atque ita his sectis commiscet elementa Neoplatonica et Stoica (*a*).

Sed Josephus in hac re fide dignior est; illa igitur gens socia palmarum, ut Plinius belle nuncupat Essenos, frugalitate innocentem degebat vitam simplicitateque patriarchali; non jurabant, praecipue circa Deum religiosi, linteis se praecingebant velaminibus, albasque vestes habebant, agris colendis in totum dediti, cohabitabant in unum. Cum vero lex Essenorum cibaria specialis nulla nobis est tradita, jure conjiciendum est, legem de hac re Mosaicam observatam esse: id saltem vero certum habeo, victu frugali tenuique usos esse Essenos (*b*).

Sed Essenorum sectae fraterna Therapeutarum nobis reliquitur, in qua tractanda Philonem sequimur ducem. Relictis facultatibus et avocamentis fugebant, sine respectu fratrum, liberorum, parentum uxorumque, et extra moenia degebant in hortis aut villis solitariis, amantes solitudinem non hominum odio, sed ad cavendos congressus cum dissimilibus, quos sciebant moribus bonis officere. Hoc genus hominum reperiebatur in multis regionibus terrarum, maxime tamen in Aegypto frequentabatur, praesertim circum Alexandriam.

Versantes sacra volumina, dabant operam philosophiae per manus acceptae a majoribus, scrutando ejus allegorias, quoniam sub apertis verbis credunt secreta naturae conjecturis explicanda probabilibus. Nec cibum nec potum quisquam sumebat ante solis occassum, quia sapientiae studium luci convenire judicarent, tenebris vero curam corporis. Victus eorum tenius atque austerus erat, assueti, ut cicades rore vivere, jejunabant frequenter.

---

a) In Monachatu etiam christiano Stoica et Neoplatonica elementa animadverti possunt, quorum unum Occidentis, alterum, Platonicum, seu Pythagoricum, Orientis est.

b) Ad persicam hujus sectae fontem monent nos nonnulla. 1) Josephus bell. Jud. II. c. 7. fol. 785: *προς γε μεν το θειον ἰδιως εὐσεβεις, πριν γαρ ἀνασχειν τον ἡλιον*, ex quo non nulli, ut ex. gr. Ugolini, contra Serarium, concludunt, Josephum reos facere Essenos *solis latriae*. cf. Salmasii Plin. exercitt. ad Solin. p. 611. 2) Dilligentia Essenorum in velando corpore monet ad morem Persarum. Xenoph. Cyrop. I. 2. 3) Symbolica ratio in rebus sacris tractandis, et frequenter usitatae apud eos vestes albae.

Haec omnia originem hujus sectae indicant ex Asiae superioris partibus petitam esse; cujus rei perspicuitas atque veritas satis liquet et perspici potest, si Babylonico et Persico Exilio Judaeorum deducimus rem.

Hae duo sectae, quamvis sint sibi simillimae, tamen magnopere differunt inter se, si ad elementa atque finem earum respicimus.

Essenorum enim secta aetate fortasse major quam Aegyptia Therapeutarum, Chaldaismum olet, haec vero Therapeutarum philosophiam Graecam: in illa Pythagoraismus, in hac Platonismus atque Stoicismus, in illa praevalet philosophia morum, et vitae sincere gerendae studium, in hac Agyptica philosophia contemplatio: hac de caussa Esseni magis Judaismo adpropinquant, quam Therapeutae. Philonis igitur summum rei ethicae principium erat: *sola virtus praebet felicitatem* (*a*) et corpus virtuti obstat (*b*) quorum sententia prior Judaismo jam est abalienata.

C. DE ÆGYPTIORUM ASCESI,

cujus indolem atque proprietates jam supra exposuimus, nonnulla sunt dicenda.

Etiam apud hos, quos λογιωτατους μακρῳ ἀνθρωπων παντων adpellat Herodotus, invenimus lustrandi morem, sed illo Hebraeorum valde *dissimilem*; hi purgant enim corpus singulis mensis diebus primis vomitu atque clysmis sanitatem captantes (θηρωμενοι), cum cibis omnes hominum morbos exoriri credant. Hic enim usus sanitatis, non puritatis leviticae caussa ab Aegyptiis observabatur.

Sed Plutarchus nos hac in re plenius edocebit in lib. suo sup. laud.; quamquam etiam hic magna habenda cautio, ne nimis ei credatur; nam, ut Philo Judaeus testis est incertus de Judaismo suique temporis sectis ob proprietatem suam philosophicam: ita etiam Plutarchus philosophice potius quam historice rem tractat, atque symbolis Aegyptiorum legibusque subdere solet suas ipsas opiniones Neoplatonicas.

Plutarchus enim intelligentiam rerum divinarum (*c*) finem esse omnis ἀσκησεως continentisque vitae, ad quae percipienda mysteria, semper victus temperantiam multorumque ciborum abstinentiam observandam, rei venereae domandas libidines, vires servandas integras atque vegetas esse dicit.

In conspicuo igitur est, Plutarchum verum solumque Egyptiorum ἀσκησεως finem naturamque ignorasse.

---

a) Quod det. pot. in sid. sol. fol. 166. de plant. fol. 211.

b) de alleg. f. 59.

c) τον ἱερον λογον.

Aegyptios antiquioris aevi, sacerdotes praesertim, capillum totonsisse vestesque linteas habuisse albas (quorum unum significare solet tristitiam) ea de caussa, quod pura impuris non liceret contingi (*a*).

Το περισσωμα victus atque quisquilias (*το σκυβαλον*) neque sancta neque pura esse: ex his enim rebus superfluis lanas, pilos atque ungues crescere: ridiculum igitur esse, si capilla nostra tondentes tempore castimoniae, corporumque nostrorum immunditiem atque excrementa delentes, animalium tamen *περισσωμασι* nos indueremus eaque circumferremus.

His similia dicit etiam Hesiodus (*b*). Aegyptiorum igitur sacerdotes tam diligentes in abstinendo ab hujuscemodi *περισσωμασι*, ut ne fabas, aut omnino legumina comedere sibi indulsissent (*c*). A vino quoque abstinebant omnino sacerdotes, alii vero fruebantur eo parcius (*d*).

Etiam ab *allio* abstinebant, quod tamen magna cum industria serebant (*e*).

Carnem etiam suilem abominabantur non minus quam ipsi Judaei.

Refutabant etiam ut Judaei, animalium carnes bifidis ungulis atque ruminantium.

Haec omnia considerantes non dubitare possumus, quin etiam apud Aegyptiorum cultum *puritas* atque *impuritas* sint magni ponderis momentique, sed non sola *ἁγνειας*, sed etiam, et it praecipue, *sanitatis caussa praevalente*: sed, ut potius dicam, eadem ipsa sanitatis notio Aegyptiis erat sacra (*f*).

Puritatis igitur principium *secundarium* est atque *subjectum*, *servit* enim principio Aegyptiorum summo *sanitatis*.

Sed superest tantum Graecorum *ἀσκησις* — seu vitae constitutio ad assequendum summum bonum, de quo jam supra diximus saepius; et brevitatis caussa remittimus igiur ad ea.

Pythagoraeorum secta, cui postea non dissimilis extitit Neoplatonicorum schola, immo, quae ad vitam redibat et iterum emergebat in Neoplatonismo, totius fere antiquitatis symbola cultusque in se complectebatur. Elementa hujus disciplinae generis humani ab anti-

---

a) *Καθαρου οὐ θεμιστον ἁπτεσθαι μη καθαρῳ*: quae verba promta sunt e Platonis Phaedone.

b) op. et d. 742.

c) d. Is. et Os. c. 5.

d) Hoc est intelligendum de *vino* palmarum. cf. Michaelis Mos. Recht §. 145.

e) cf. Plin. h. nat. XXXVI. 12. Rosenmülleri Morgenland. II. Bd. 245. quia incitet libidines venereas: *ὀρεξεις ἀφροδισιων*. cf. Porph. de abst. IV. §. 7 — 10.

f) Isis enim *το ὑγιεινον*, ut Plut. dicit.

quissimis sanctissimisque mysteriis et fontibus rerum divinarum sunt petita. Sed neque dici potest, Pythagoram hausisse sapientiam a solis Graecis, neque ab Aegyptiis, neque ab Judaeis, neque a Persis, neque ab ulla terrarum gente; sed Pythagoraei cum his gentibus unam eandemque fontem habebant communem, neque illi ab his, neque hae ab illis edocebantur.

Id quidem certum habeo, quod omnes terrarum cultus eundem fontem atque originem habeant: quo longius enim recedimus investigantes mythos veteres, eo magis omnium gentium religiones cultusque deorum et mysteria in unum congrui et vergere animadvertimus. Et si a novioribus temporibus semper recedere possemus ad remotiora, ad unam tandem perveniremus sapientiam atque cognitionem rerum divinarum, quae omnium certe religionum esset typus atque fons originalis.

Sed quam possumus, demonstrare volumus Pythagoraismi universitatem, et argumentis *quidem externis* et *internis*.

Illa prompta sunt e vita Pythagorae, de quo omnes vere antiquitatis scriptores in eo conveniunt, quod itinera fecisset a Mileto et Samo in Aegyptum, Palaestinam, Tyrum, Persiam et Babyloniam.

Jamblichus enim Chalcidensis nobis narrat: postquam in Mileto a Thalete satis esset instructus Pythagoras Sidonem se contulit et unde in Aegyptum. Huic si credere possumus, Pythagoras doctrinam vivendi philosophicam non ab Aegyptiis petiit, sed a Thalete jam antea instructus est in ea (*a*).

Sed in Aegypto, ubi degebat Pythagoras duos annos, non negamus, certior factus atque edoctus est de migratione animae atque aliis mysteriis physicis sacrisque praesertim de illa κομψοτητι φοσικη in cibis.

Tunc a Chambysis militibus captus, ut narrat idem Jamblichus, Babyloniam deductus est.

Etiam haec si vera sunt, admirari non potest, quod doctrina ejus tam saepe moneat nos ad Magorum religionem. Deinde Italiam petiisse dicitur Pythagoras, ubi scholam suam constituit.

Si Pseudo-Origeni illi credendum est, Zaratae, Chaldaei, discipulus fuit Pythagoras. Et si, ut volunt nonnulli, iste Zaratas Ezechiel Judaeorum fuit (quod alio relinquimus ad demonstrandum) Pythagoram Judaeorum etiam sacris satis instructum fuisse accipiendum

---

a) Temporis scil. parcimoniam, vini atque carnis abstinentiam etc. jam Thales ei commendat.

est. *Sed ad argumenta interna.* Quae enim Pythagoraeorum sectae sunt communia a. cum *Aegyptiorum*, b. cum *Persarum*, c. cum *Essenorum* cultu?

a. Ad Aegyptiam originem spectat Pythagoraeorum mos ille doctrinas ferrendi occulte, eandem enim distinctionem Exotericorum ab Esotericis in hac secta apud Aegyptios invenimus. Illius acroamatici, auditores, correspondere videntur horum pastophoris, illius mathematicos eosdem esse qui horum horoscopi et astrologi; phisicos, scriptores sacros; legislatores (Νομοθητας), stylistas; praesides et rerum sacrarum ministros, prophetas esse.

Hic accedit etiam illa abstinentia ab esu ciborum qui sint corpori noxii habiti tam apud Aegyptios quam etiam apud Pythagoraeos secundum miram illam cognitionem et acumen naturae, de quo jam supra diximus.

b. Pythagoraeorum cum *Persis* communia. Id praeprimis etiam cum Persis est iis commune, quod tempore solis occidentis et orienties nihil fecissent profani, sed semper et omnes oravissent; et vespere tandem, post solis occasum edissent atque corporis necessitudini indulsissent; vestibus albis se induissent, metempsychosin credidissent, et a cibis certis abstinuissent, qui etiam Persarum Magis erant prohibiti; ut scil. *fabae*, Pseudoorigene teste, qui hujus interdicti auctorem Zaratam habet (*a*).

c. *Similitudines cum Essenis.*

Hic in fronte ponimus Josephi locum (Jos. ctr. Apion. fol. 1046). „Pythagoras igitur Samius, cum sit antiquus quidem aetate, sapientia vero et divina pietate philosophos omnes excellens, non solum quae nostra sunt adgnovisse manifestus est, sed etiam aemulatus ea ex multis apparet (*b*).

Etiam in eo quod de fato philosophentur Pythagoraei, Ugolini arguit similitudinem cum Essenis, omnia enim ejus imperio esse subjecta (*c*).

Utrique sectae per Deos jurare erat vetitum (*d*).

---

a) Crematio quoque mortuorum Pythagoraeis abominanda erat, ut ipse Jamblichus dicit: *μαγους ἀκολουθως*, quem morem etiam Aegyptii Judaeique refutabant.

b) cf. etiam Numenii lib. I. de bono et Origenes contra Celsum. lib. I.

c) Ugolini Thes. antiq. sacrar. T. XXII. Tribaeres. Judaeorum et Josephi antiq. l. XIII. c. 9. *Το των Ἐσσηνων γενος, παντως των εἱμαρμενην Κυριαν ἀποφαινεται, και μηδεν ὁ μη κατ᾽ ἐκεινης ψηφον ἀνθρωποις ἀπαντᾳ.* id est: Esseni vero omnia in fati potestate esse affirmant, nec quidquam hominibus praeter fati decretum accidere.

d) cf. Jambl. v. Pyth. l. I. c. 28. et Philo q. omn. sit lib. f. 877.

EPILOGUS.

Totius per antiquitatis religiones hoc praeprimis dogma ut fundamentum quasi mysteriorum nobis occurrit: corpora et qua constant materia, sund caduca, animus vero immortalis est et semper persistens: qui exortus tenuissimo ex aethere, detrahitur tamen naturali quadam inclinatione (ῥυμῃ φυσικῃ κατασπωμενος) fractis vero his vinculis (Των κατα σαρκα δεσμων) laetatur mens a longinqua servitute liberata, et coelitus trahitur (μετεωρος φερεται).

Semper igitur in hanc recurrunt opinionem Aegyptiorum, Orphicorum Pythagoraeorumque mysteria, et in his omnia sunt cognoscenda.

Haec enim et alia mysteria reliquiae sunt vetustissimi aevi sapientiae atque cultus, de quorum origine jam ultimae memoriae homines haesitabant ipsi; generationis enim iliusl hominum sunt superstites, quae omnes vitae sapientiaeque partes in unum complectebatur, atque in uno effigie conspiciebat.

Jam primo enim temporum diluculo invenimus totas gentes vitae huic austerae deditas, quam postea sectae modo singulorum observabant. Et jam Josephus Essenos suos comparat cum Dacorum Plistis (*a*).

Illi demum Curetes, quos Porphyrius laudat, et Euripidis fragmentum, quod inter alia dicit de iis haec propemodum: traducunt castam vitam, nec orgia amplius nocturna Bacchi, nec dapes crudes sequuntur, sed indumentis exornati candidis generationem respuunt mortalium, vitant sepulchra mortuorum attingere, et cavent ne animalium quidquam edant unquam.

Qua de caussa gentes, ut veteres Curetes, omnes opinatae sunt sacerdotales: sacerdotum enim familias gentesque omnes e primis generis humani originibus ortas esse censebant; ex illis scil. temboribus, quae dicimus Patriarcharum; ut *Melchisedecki*, qui regis una cum sacerdotis vice fungebatur: ut Essenes illi Ephesii sacerdotes Dianae, reges illi sacrificuli; quod verbum apum regem significat, sed etiam regem merum, si Callimacho

---

a) cf. Jos. ant. XV. 541, et XVIII. c. 2. οἱ Πειλοι. quos Abrh. Oertelius primus in κτιστας commutat, quorum Strabo facit mentionem (lib. VII.) et τας πολιστας in textum recipit. de quibus dicit Strabo l. s. laud. inter Dacios esse nonnullos, qui sine mulieribus vivant, quosque κτιστας, conditores adpellassent; ea quae etiam Homerus dixisset Il. N. v. 5 et 6. de *Abiis*, genere piissimo. cf. etiam. Amm. Marcellin l. XXII. pg. 298. sec. ed Ernestii.

credendum est, qui Jovem ἰσσηνα των θεων adpellat. cf. Hymn. in Jov. 66. Tunc temporis igitur erant reges et sacerdotes, et magistri cibarii (festliche Speisemeister) iidem.

Ut paucis dicam: semper considerandum est perscrutanti leges, sapientiam cultumque veterum gentium, id praeprimis, quod reges, sacerdotes, legislatores, medici atque astrologi semper iidem fuere, itaque custodes et administratores omnium rerum tam humanarum quam divinarum; institutiones igitur legesque eorum complectebantur cunctas humanorum divinarumque rerum partes scientiae.

Haec cum ita se habent, non est, quod miremur, veterum gentium ministros sacrorum, morum, legumque atque honesti, etiam fuisse medicos, atque leges eorum victum vitaeque normam, totamque vitae quam optime gerendae artem (quae scil. pertinent ad diaetam certasque leges cibarias) comprehendere.

Institutiones igitur et leges antiquitatis, tam sacrae, quam profanae, a pluribus quam una parte sunt considerandae.

Hunc antiquissimorum hominum statum contemplantibus animo, illam verbi cum facto, symboli cum re, animi cum mente, divinationis cum cognitione: naturae cum Deo unitatem integritatemque, et illam mortalium vitam cum Deo naturaque intime reconciliatam, considerantibus facile nobis subit opinio, *antiquitatem, quo minus aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius eam fortasse, quae essent vera et divina, vidisse.*